

SEQUITUR SECUNDA <QUAESTIO>.

[277b] Quaeritur secundo utrum Deus ab aeterno sciverit se producturum mundum? Videtur quod non. Primo sic: nihil aliud a Deo fuit ab aeterno; 'Deum esse producturum mundum' est aliud a Deo; ergo 'Deum esse producturum mundum' non fuit ab aeterno verum; et ultra, ergo non fuit ab aeterno scitum a Deo. Ultima consequentia patet, quia omne quod scitur est verum quando scitur. Penultima consequentia patet, scilicet haec verum non fuit ab aeterno, ergo non fuit verum ab aeterno, quia omne quod est verum, est quando est verum, sicut manifestum est. Ad istud potest dici negando minorem principalis rationis, istam videlicet: 'Deum esse producturum mundum' est aliud ab eo, quia haec ab aeterno fuit vera: 'Deus producet mundum', et ideo veritas istius fuit ab aeterno. Et constat quod nihil fuit ab aeterno nisi Deus, ergo veritas istius 'Deus producet mundum' fuit ab aeterno Deus. Sed veritas istius 'Deus producet mundum' non est aliud quam 'Deus esse producturum mundum'; igitur 'Deum esse producturum mundum' ab aeterno fuit Deus. Confirmatur ista responsio per venerabilem Anselmum, *Monologion*, 18 capitulo, et *De veritate*, 1 capitulo, ubi vult quod hoc verum, id est 'aliquid esse futurum semper fuit, neque habuit principium, unde nunquam incepit esse verum'. Similiter hoc verum 'praescitum vel praeteritum esse aliquid nunquam desinet esse verum'. Ex quibus concludit quod veritas fuit ab aeterno, et in aeternum erit, unde dicit sic: „si veritas habuit principium, vel habebit finem, antequam ipsa inciperet, verum erat quod non erat veritas; et postquam finita erit, tunc verum erit quod non erit veritas. Atqui, id est certe, verum non potest esse sine veritate. Erat igitur veritas, antequam erat veritas; et erit veritas, postquam finita erit veritas: quod inconvenientissimum est”. Et ideo praemittit in principio suae rationis: „cogitet”, inquam, „qui potest, quando incoepit, aut quando non fuit hoc verum: futurum erat aliquid, <aut> quando desinet”. Hoc nullus potest cogitare. Sed verisimile est Anselmum sentire quod solus Deus fuit ab aeterno, ergo hoc quod est futurum aliquid erat, fuit Deus ab aeterno. Et sic negatur totaliter minor principalis rationis.

Sed contra istud arguitur sic: sit veritas istius 'Deus producet mundum' 'a'. Et arguitur sic: 'a' fuit Deus, et 'a' non est Deus. Ergo aliquid fuit Deus, quod modo non est Deus. Item, 'a' fuit Deus, et 'a' fuit haec propositio 'Deus producet mundum'; ergo haec propositio fuit Deus. Minor patet, quia veritas propositionis non est aliud a propositione. Quia si sic, vel foret accidens propositionis, vel res significata per propositionem. Primum non potest dari, quia sic oratio vera mutaretur quando transiret de veritate in falsitate, quam arguebatur in praecedenti capitulo de substantia. Nec potest dari secundum, quia [278a] secundum Anselmum, *De veritate* capitulo 2: „veritas enuntiationis non est res enuntiata, sed res enuntiata est causa veritatis in enuntiatione”, igitur veritas propositionis est propositio. Igitur, si veritas huius fuit Deus, haec fuit Deus.

Praeterea, si Deus scivisset istam ante productionem mundi 'Deus producet mundum', igitur sic fuisset repraesentata per essentiam divinam sicut per istam denotatur. Ergo, cum essentia divina naturaliter repraesentet, sequitur quod adhuc sicut tunc repraesentabit. Igitur modo repraesentat 'Deum esse producturum mundum', sed hoc est falsum; igitur essentia divina repraesentat falsum.

Quarto, essentia divina repraesentat ita esse sicut per hac denotatur: 'Deus non producet mundum, quia omne verum repraesentatur per essentiam divinam'; et haec est vera. Igitur cum

naturaliter repraesentet, semper repraesentavit ita fore sicut per eam denotatur. Igitur similis ante productionem mundi repraesentat ista contradictoria: 'Deus producet mundum', 'Deus non producet mundum'. Praeterea, loquimur nunc pro illa mensura imaginata ante productione mundi. Pro tunc hoc fuisset vera. Si fuisset, Deus vult creare mundum, vel ergo voluit creare se, vel aliud a se. Non se, quia hoc fuit impossibile. Ergo voluit creare aliud a se. Ergo aliud a Deo fuit volitum a Deo pro tunc. Et non nisi mundus, igitur mundus fuit pro tunc, quia si fuit aliud a Deo, fuit. Et si non fuit aliud a Deo, nihil aliud fuit volitum a Deo.

Praeterea, sancti ab aeterno fuerunt electi, igitur ab aeterno fuerunt dilecti, ergo ab aeterno fuerunt boni, quia Deus nunquam dilexit nisi bonum; ergo homines fuerunt ab aeterno. Primum antecedens patet per illud *Ephesios 1: elegit nos ante mundi constitutionem*.

Praeterea, sit 'a' nomen alicuius qui erit electus in fine mundi. Quaero tunc utrum Deus diligit 'a' an non. Si non, ergo nec elegit et, per consequens, nunquam elegit; et ultra: ergo 'a' non erit nomen alicuius electi, cuius oppositum ponitur, si dicatur quod Deus diligit 'a': sequitur tunc quod 'a' est dilectum a Deo. Et sequitur: 'a' est dilectum a Deo, ergo 'a' est aliquid dilectum a Deo, quia 'a' non est nihil dilectum a Deo, ergo 'a' est aliquid dilectum a Deo; et ultra: ergo est aliquid.

Praeterea, ita naturaliter repraesentat essentia divina antichristum fore, sicut ista propositio mentalis 'antichristus erit' in mente hominis repraesentat antichristum fore. Sed haec oratio mentalis ita repraesentat antichristum fore naturaliter, quia ipsa non potest esse in mente nisi sic repraesentet. Ergo essentia divina semper repraesentabit antichristum fore et mundum esse producendum, si unquam sic repraesentavit, quia alias mutaretur.

Secundo arguo sic: Deus ab aeterno scivit se producturum mundum, ergo pro tunc scivit se nihil produxisse. Ergo pro tunc scivit mundum non esse. Ergo ex isto antecedente 'Deus ab aeterno scivit mundum se producturum' sequitur formaliter, [278b] quod mundus non fuit ab aeterno. Ergo impossibile est quod oppositum antecedentis stet cum antecedente, stante significatione utriusque. Ergo non potuit produxisse mundum ab aeterno, si ab aeterno scivit se producturum mundum.

Item, si potuit produxisse mundum ab aeterno, ponatur in esse et sequitur: mundus fuit ab aeterno, ergo nunquam fuit producendus; et ultra: ergo Deus nunquam scivit se producturum mundum. Ergo ut videtur, prima consequentia est bona.

Respondetur uno modo dissimulando de consequentia: concedo consequens, quia Deus non potuit produxisse mundum ab aeterno.

Sed contra hoc arguitur multipliciter. Primo sic: non minus potest Deus quia producit libere, quam posset, si naturaliter produceret. Sed si Deus egisset naturaliter, Deus produxisset mundum ab aeterno, ergo et libere potuit hoc fecisse.

Praeterea, mundum fuisse ab aeterno non includit contradictionem. Ergo Deus potuit fecisse, ergo etc. Consequentia patet, quia Deus potest quicquid non includit contradictionem fieri. Antecedens probatur, tum quia, secundum Aristotelem, 1 *Topica*, sunt quaedam problemata de quibus non habemus certam rationem, sicut utrum mundus sit aeternus, unde non possumus probare quod includit contradictionem; tum quia philosophi multi hoc opinati sunt, sicut docet Augustinus, 10 *De civitate <Dei>*, capitulo 31 *De Platone*, cuius opinio fuit mundum fuisse

aeternum, et a Deo habuisse initium constitutionis, non tamen initium temporis: „Sicut si pes ex aeternitate stetisset in pulvere, vestigium semper ei subesset, quod tamen vestigium a calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset”; tum quia beatus Augustinus, 6 *De trinitate*, capitulo 1, respondet Arrio: „si Filius erat natus, ergo est, et prius tamen erat”. Respondet Augustinus quod non sequitur, quia natus potest esse coeternus, sicut splendor qui gignitur ab igne. Et istis exemplis frequenter utitur Augustinus, ergo simul stant quod aliquid habeat causam efficientem et sit illi causae coeternum. Praeterea, arguitur sic: antequam produxit, potuit produxisse, vel ergo tantum per finitum tempus ante, vel infinitum tempus ante. Primum non potest rationabiliter dici, quia, qua ratione modo concedimus quod posset prius produxisse mundum, eadem ratione concedere debemus idem quocumque instanti signato ante. Posito enim quod duplum plus de tempore fuisset a creatione mundi quam modo, diceremus quia ante tot annos potuit produxisse mundum, et eodem non, si triplum, vel quadruplum poneretur. Quod si verum est, ergo in infinitum ante potuit produxisse mundum, ergo ab aeterno. Praeterea, capio instans in quo Deus creavit mundum, et sit 'a'. Et arguo sic: Deus omnino eodem modo se habuit ante 'a' sicut in 'a'. Ergo quicquid intellexit vel voluit in 'a', voluit ante 'a'. Sed ante 'a' voluit mundum esse, ergo ante 'a' mundus fuit. Praeterea, si includit contradictionem Deum [279a] produxisse mundum ab aeterno, ergo posset probari quod mundus productus est ex tempore et sic articulus fidei posset probari. Praeterea, voluntati rationali non repugnat habere effectum liberum sibi coeternum, ergo nec Deo. Assumptum patet de anima Christi, quia, si Christus ab aeterno fuisset viator, ab aeterno habuisset actum meritorium.

Confirmatur ratio per Dionysium, *De divinis nominibus*, capitulo 4: „Divinus amor non permisit eum sine germine esse, sed amor ille fuit ab aeterno”. Praeterea, secundum Augustinum 10 *De civitate <Dei>*, capitulo 31: „si pes ab aeterno fuisset in pulvere etc.”. Chrisostomus, *Super Iohannem*, homilia 36, dicit quod virgultum et eius imago coeterna sunt: „si semper”, inquit, „virgultum ab aeterno fuit semper, ergo imago de virgulto fuit”. Sed si pes vel virgultum fuisset ab aeterno, non posset citius vel prius habere effectum quam Deus. Ergo, cum Deus ab aeterno fuit, potuit habuisse effectum sibi coeternum. Praeterea, quicquid perfectionis est in causa secunda, debet attribui causae primae. Sed hoc est perfectionis in causa secunda: habere effectum sibi coeternum, quod non expectet tempus ad hoc quod posset producere suum effectum. Unde quanto causa est perfectior, tanto minus expectat de tempore. Ergo hoc debet Deo attribui, quod possit statim habere effectum sibi coeternum. Ergo Deus potuit produxisse mundum ab aeterno.

Tertio ad principale sic: si Deus etc., ergo ab aeterno scivit se producere plures mundos, vel non. Si non, ergo non potuit producere plures mundos; eadem ratione nec modo potest. Consequens falsum, quia tantae potentiae est modo, sicut tunc fuit quando produxit istum mundum, nec est alia resistentia, vel impedimentum quam tunc impediens. Ergo posset modo producere alium, si vellet, si dicatur quod Deus ab aeterno scivit se producere plures mundos.

Contra: ergo plures mundi fuerunt intellecti a Deo et sunt adhuc intellecti a Deo, ergo aliqua intellecta sunt plures mundi.

Item, vel intelligit se producere plures mundos finitos, vel infinitos tantum. Non finitos tantum, quia, qua ratione sex, eadem ratione septem vel octo, et sic in infinitum. Si infinitos, qui

erunt aequales isti, ergo illi infiniti si essent, moveri possent motu circulari in suis partibus superioribus, sicut iste mundus movetur. Ergo, pari ratione, si esset unum infinitum compositum ex illis, illud posset moveri motu diurno, et sic corpus infinitum posset moveri in tempore finito – contra Philosophum, 1 *De coelo*, et 6 *Physicorum*.

Item, si Deus potuit produxisse plures mundos et non fecit, ergo fuit invidus. Consequentia probatur per modum arguendi beati Augustini, 4 *Super Genesim*, capitulo 18: „bona autem facere si non possit, nulla esset potentia; si autem posset, nec faceret, magna esset invidentia. [279b] Quia igitur est omnipotens et bonus, ideo omnia valde bona fecit”. Ergo, pari ratione, si Deus potuisset producere mundos infinitos, et non fecit, ergo fuit invidus. Confirmatur, quia qui omittit quod melius est non facit optimum quod posset facere, nec optime quod posset. Sed si Deus posset producere plures mundos, et non fecit, omisit illud quod melius est, nam melius esset duos mundos esse quam unum, constat; quia in duplo, manifestum est. Igitur Deus non optime cuncta disponit.

Confirmatur simpliciter per illud Augustinum 3 *De libero arbitrio*, capitulo 7: „Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tamquam omnium bonorum conditorem”. Igitur de facto iam fecit plures mundos.

Praeterea, si Deus, quando produxit istum mundum, scivit se posse producere alium mundum ab isto, sit ille 'a'. Quaero igitur quare magis voluit producere istum, quam 'a': vel fuit aliqua ratio, vel nulla. Si nulla, voluntas sua fuit irrationabilis. Si aliqua, cum omnia sint paria in obiectis intellectivis, videtur quod magis non debuit producere hunc, quam istum, et sic vel nullum, vel istos infinitos.

Praeterea, aut potuit produxisse mundum meliorem isto, vel non. Si sic, igitur non fecit quicquid melius potuit. Igitur non fecit optime quod scivit et potuit. Si non potuit, contra: iste mundus est finitae perfectionis, ergo potuit fecisse mundum maioris perfectionis. Similiter posset fecisse hominem meliorem quam fecit, secundum Magistrum, 1 *Sententiarum*, distinctione 44, capitulo 2. Et probat Magister hoc per Augustinum, 5 *Super Genesim*, capitulo 10: „Talem potuit Deus hominem fecisse qui non peccare posset nec vellet, et si talem fecisset, quis dubitat quin meliorem fecisset?” Igitur potuit hominem fecisse meliorem, igitur pari ratione angelum. Et sic, per consequens, totum universum.

Praeterea, si Deus posset modo facere alium mundum ab isto, posset facere illum esse alicubi, sicut iste est modo, ita quod partes illius mundi distarent abinvicem extra mundum istum. Quaero ergo quid est ibi modo, an aliquid, an nihil? Si aliquid, ergo extra mundum de facto est aliquid. Si nihil, tunc arguitur sic: extra mundum nihil est et extra mundum potest esse corpus; ergo extra mundum est vacuum, quia ubi potest esse corpus et nullum est, ibi vacuum est; ergo vacuum modo est.

Quarto ad principale: si Deus ab aeterno scivit etc., ergo antequam produxit mundum verum fuit 'Deum esse producturum mundum'. Ergo sic haec propositio ab aeterno fuisset vera: 'Deus producet mundum ab aeterno'. Igitur, si homo fuisset creatus ante mundum, qui dixisset istam, dixisset verum; ergo de necessitate Deus produxit mundum.

Confirmatur iste modus arguendi per processum Aristotelis, 1 *Peri hermeneias* in fine, ubi ostendit quod [280a] in propositionibus contradictoriis de futuro in materia contingenti neutra pars

est determinate vera. Hoc autem arguit per duas rationes, quarum una ducit ad impossibile, secunda est ostensiva.

Primo modo sic: si haec sit vera 'a erit', ergo dicens hanc, dicit verum. Sed si dicens hanc dicit verum, necesse est sic fore sicut ipse dicit. Et si necesse est sic fore sic ut ipse dicit, non potest aliter evenire quam ipse dicit, igitur 'a' de necessitate eveniret. Hoc autem relinquit Aristoteles pro impossibili tam ibi, quam 6 *Metaphysicae*. Secundo, arguit ad idem sic: sicut res se habent ad fore et non fore, sic se habent contradictiones de eis formatae ad veritatem et falsitatem; sed res quae significantur futurae sunt omnino ad utrumlibet; haec plus determinantur ad fore, quam ad non fore; igitur contradictiones de eis formatae non plus determinantur ad veritatem, quam ad falsitatem, nec econtrario. Ideo tenet ipse quod in talibus contradictionibus neutra pars est vera, et neutra pars falsa. Igitur, secundum eum, si aliquam propositio de futuro sit vera, de necessitate sic erit sicut denotatur per eam; ergo si haec fuisset vera: 'ab aeterno Deus producet mundum', ab aeterno verum fuisset dicere Deus de necessitate producet mundum. Consequens falsum, quia libere produxit mundum.

Quinto ad principale sic: si Deus ab aeterno etc., sequitur quod in Deo esse posset praescientia futurorum. Consequens falsum. Consequentia patet, quia, quando mundus non fuit, Deus scivit se producturum mundum; ergo habuit praescientiam de hoc quod mundus fuit futurus. Et sic pari ratione habet modo praescientiam de futuris. Falsitas consequentis probatur per venerabilem Anselmum, *De casu diaboli*, capitulo 21: „breviter”, inquit Anselmus, „hic respondeo. Praescientia Dei non proprie dicitur praescientia; cui enim omnia semper praesentia, non habet futurorum praescientiam, sed praesentium scientiam”. Igitur, secundum mentem Anselmi, omnia quae apud nos sunt futura vel praeterita sunt Deo semper uniformiter praesentia. Ergo ab aeterno mundus fuit praesens Deo.

Item, confirmatur per Boethium, *De consolatione <Philosophiae>*, libro 5, prosa ultima: „omnia quasi iam gerantur in sua simplici cognitione considerat Deus. Itaque, si praescientiam pensare velis, qua cuncta dignoscit, non esse praescientiam quasi futuri, sed scientiam numquam deficientis instantiae rectius aestimabis. Unde non praeventia, sed providentia potius dicitur, quod porro a rebus infimis constituta quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat”. Haec ille. Vult igitur dicere quod Dei cognitio de futuris non est proprie praescientia, sed cognitio quorumque sibi praesentium. Numquam sibi sunt aliqua futura, aliqua praeterita, aliqua praesentia sicut nobis, sed omnia sunt sibi praesentia in sua aeternitate. Igitur ab aeterno mundus fuit praesens Deo.

Idem Anselmus, *De concordia*, capitulo 4: „quaemadmodum prae[280b]sens tempus continet omnem locum, et quae in quolibet loco sunt, ita aeterno praesenti simul clauditur omne tempus, et quae sunt in quolibet tempore”; et infra: „habet enim aeternitas suum simul, in quo sunt¹ omnia quae simul sunt loco et tempore et quae sunt in diversis locis vel temporibus”. Unde dicit infra quod actio mea crastina semper est praesens in aeternitate. De isto nota libri 1 *<Sententiarum>*, distinctione 35, capitulo 6.

¹ sunt] tunc

Sexto ad principale: si Deus ab aeterno etc., Deus ab aeterno scivit se producturum per creationem semetipsum. Consequens est impossibile, ut manifestum est. Consequentiam probo. Ista creaturae sunt mundus, ergo mundus est Deus. Maior patet, quod creaturae sunt Deus, per Augustinum, *Super Iohannem*, sermo 1, et *De verbis domini*, sermo 4: „quaecumque hic varia quaeris, ipse unus omnia tibi erit”; et *Iohannes*, 1: *quod factum est in ipso vita erat*; et Anselmus, *Monologion*, 35: „quicquid factum est, sive vivat, sive non vivat, aut quomcumque est in se, in illo est vita et veritas”; item, creare in Deo est ipsa creatrix essentia.

Septimo ad principale: quaero an produxit mundum contingenter, an necessario. Si necessario, ergo naturaliter, ergo ab aeterno, quia, posita causa sufficienti et non impossibili et naturaliter agente, necesse est effectum poni. Ergo sic mundus fuisset ab aeterno. Consequens falsum. Si contingenter et libere produxit, ergo semper ante instans productionis mundi haec fuisset contingens: 'Deus producet mundum'; ergo, si fuisset scita a Deo, fuisset simul vera et contingens ad utrumlibet. Et sic, per consequens, Deus modo in futuris contingentibus cuiuslibet contradictionis sciret alteram partem. Consequens falsum, videlicet quod Deus sciat aliquam propositionem de futuro in materia contingenti, puta istam: 'a' erit'. Sit 'a' peccatum quod Sortes libere committet cras; tunc arguo sic: Deus scit 'a' fore; ergo ab aeterno scivit 'a' fore, vel incepit scire 'a' fore. Non potest dici quod incepit scire 'a' fore, quia posset tunc aliquid scire vel praescire in tempore et ex tempore. Consequens falsum, et contra Magistrum, 1 *Sententiarum* distinctione 39. Si ab aeterno scivit 'a' fore, pono quod 'a' fore' fuit heri scriptum in pariete; ergo haec est modo vera: 'scriptum in pariete fuit verum'. Consequentia patet, quia haec est una vera de praeteritis, et per consequens necessaria; ergo necesse est Sortem peccare. Ad istum argumentum potest dici sic: quod haec propositio: 'a' erit', est vera, tamen contingenter. Et ideo, licet sit vera, potest tamen nunquam fuisse vera. Et eodem modo ista: 'Deus scivit 'a' fore', vera est per casum, contingenter tamen, quia sic est vera quod potest nunquam fuisse vera. Et eodem modo dicit de ista: 'hoc scriptum heri fuit verum', demonstrato isto scripto heri 'a' erit'. Et haec est diff[erentia] inter propositionem de futuro in materia contingenti et ei equivalentes, sive sint de praesenti, sive sint de futuro, et propositiones de praeterito et de praesenti, quae nunquam equivalent talibus, nec tales virtualiter includunt. Quia, si aliqua sit propositio vera de praesenti, vel de praeterito, necessario semper erit postea verum dicere quod illa fuit vera; sicut si haec fuit vera: 'modo Sortes sedet', haec est necessaria: 'haec fuit vera 'Sortes sedet'', neque deveniet postea falsa, nisi omittatur significatio terminorum. Et eodem modo est de illis de praeterito, quae nullo modo exponi debent per aliquam de futuro – puta de ista: 'Sortes fuit albus', quia si haec est modo vera, haec semper erit postea vera: 'haec fuit vera: 'Sortes fuit albus''. Sed in propositionibus de praesenti et praeterito quae equivalent propositioni de futuro, vel exponi habent per aliquam de futuro, secus est. Nam ista propositio: 'a' fuit scitum a Deo', quae est de praeterito, vel ista: 'a' est scitum a Deo', quae est de praesenti; sic est vera modo quod tamen potuisset nunquam fuisse vera. Et ideo 'a' est scitum a Deo' otest tamen nunquam fuisse scitum a Deo. Et eodem modo quantumcumque haec sit vera: 'Sortes fuit praedestinatus', haec tamen est semper contingens: 'haec fuit vera 'Sortes est praedestinatus''. Si tamen haec sit vera: 'Sortes est praedestinatus', ab aeterno fuit vera et sua opposita falsa, ita quod neutrum istorum potest successive esse verum post

reliquum. Sed contra istud dictum potest argui multipliciter. Primo sic: sit 'a' unum futurum contingens quod Deus scit fore. Tunc per te ista stant simul: 'a' erit', et propositio ista: 'a' potest non evenire' est concedenda. Ponatur igitur in esse, et arguo sic: 'a' non eveniet, igitur haec nunquam fuit vera: 'a' eveniet'. Et haec fuit ante concessa a te. Igitur falsum fuit concessum a te, nulla obligatione tibi facta.

Praeterea, sit ita quod heri concessisti, nulla obligatione tibi facta: 'a' erit'; hodie propono tibi istam: 'a' potest non evenire'. Si neges, igitur 'a' necessario eveniet. Si concedas, ponatur in esse: 'a' non eveniet. Tunc arguo sic: 'a' non eveniet, igitur haec semper ante fuit vera: 'a' non eveniet'. Si fuit vera semper ante, igitur haec nunquam fuit vera: 'a' eveniet'; et ultra: igitur non fuit vera heri, et heri fuit concessa a te, nulla obligatione tibi facta; igitur heri concessisti falsum, nulla obligatione tibi facta. Igitur heri male respondisti.

Praeterea, omnes duae propositiones ante 'b' instans, sit 'b' instans in quo 'a' erit, possunt esse simul verae, aut successive ante 'b' instans. Sed istae propositiones sic se habent: 'a' erit', 'a' non erit', quod utraque potest esse vera ante 'b' instans, quia utraque est contingens. Sed non possunt esse simul verae; igitur successive. Igitur una potest esse [281b] vera post aliam, etiam antequam 'a' sit, quia postquam 'a' fuit constat quod haec potest esse falsa: 'a' erit', et sua opposita vera postquam fuit falsa.

Praeterea, sint 'a' et 'b' duo contradictoria de futuro. Et sit 'a' verum in hoc instanti, et 'b' possit esse verum cras. Et arguitur sic: 'a' est verum in hoc instanti, et 'b' potest esse verum cras; igitur 'b' potest esse verum postquam 'a' fuit verum; ergo. Item sic: omne quod non est verum in hoc instanti, et potest esse verum post hoc instans, potest esse verum postquam fuit falsum. Sed 'b' non est verum in hoc instanti, et potest esse verum post hoc instans; et ultra: ergo potest esse verum postquam fuit falsum².

Praeterea, sit aliquid quod non est futurum, et potest esse futurum. Et arguo sic: 'a' non est futurum, et potest esse futurum; ergo 'a' potest incipere esse futurum. Sit igitur 'b' instans in quo 'a' incipit esse futurum, ergo 'a' est futurum, et immediate ante 'b' non futurum. Et arguo sic: 'a' incipit esse futurum, ergo 'a' est futurum, et immediate ante hoc non fuit futurum; igitur immediate ante 'b' haec fuit vera: 'a' non fuit futurum'. Igitur immediate ante 'b' haec etiam fuit vera: 'a' nunquam erit futurum'.

Praeterea, si omnis propositio foret contingens ad cuius veritatem requiritur veritas unius de futuro, sequitur quod omnes tales forent contingentes: 'sol est', 'sol movetur', 'Deus est prima causa', 'Sortes currit', et homo haberet dubitare istam: 'ego sum'. Nam sequitur: Sortes est, ergo Sortes erit, quia non potest dari ultimum rei permanentis in esse. Ergo, si est modo, post hoc erit. Sed haec est contingens: 'Sortes erit', quia Deus potest facere quod sit falsa; alioquin vellet nollet Sortes foret futurus post hoc instans. Consequens est falsum. Igitur illud ex quo sequitur.

Octavo ad principale: si sic, ergo Deus modo sciret aliqua quaecumque futura contingentia. Consequens falsum, quia tunc Deus posset revelare quodcumque futurum contingens homini vel angelo, ita quod, facta tali revelatione, revelatum maneret contingens. Consequens falsum, nam, si sic, Sacra Scriptura posset esse falsa, nam in ea continetur quod resurrectio mortuorum erit et quod

² Falsum] verum

dies iudicii erit. Si ergo ista sunt adhuc contingentia, ergo possunt esse falsa. Et si una pars Scripturarum possit esse falsa, et alia, et sic tota, secundum rationem Augustini *Contra Iovinianum*. Et sic aliquis potest meruisse in fide falsa, et fides Abrae quae fuit vera, multis milibus annorum elapsis potest esse falsa, et beati possunt decipi. Nam angeli credunt diem iudicii fore futurum, et sic sunt deceptibiles et, per consequens, non beati. Similiter in potestate mea esset decipere angelum meum, qui custodit me, et decipere animam Christi, quia esto quod Deus re[282a]velavit animae Christi, vel angelo meo quod ego sim salvandus. Adhuc haec est contingens: 'ego salvabor', ergo in libertate mea est facere quod sit falsa. Ergo possum facere quod haec sit vera: 'anima Christi credit falsum'. Similiter in potestate mea est facere quod Christi mentitus est, quia, si Christus dixit beatæ virgini assertive: 'iste salvabitur', adhuc ista est contingens; ergo potest esse falsa; ergo Christus potest asseruisse falsum, et tunc fuit deceptus, vel dixit contra conscientiam. Immo probari potest quod dixit contra conscientiam, nam si haec sit falsa: 'iste salvabitur', ergo nunquam vera. Supposito quod nunquam scivit aliud, ergo scivit quod nunquam fuit vera; et Deus dixit hoc, ergo Deus dixit scienter falsum.

Praeterea, si sit aliquis qui fuit iuste damnatus ad mille annos et passus ibi maximam poenam, potest adhuc fuisse iniuste damnatus. Probatur: accipio aliquem qui fuit de secta Saducheorum et volo quod pro nullo alio damnatus sit, nisi quia credidit falsum, scilicet resurrectionem non esse futuram. Quo posito, arguo sic: iste non est damnatus, nisi quia credidit hoc falsum: 'resurrectio non erit'. Et possibile est eum nunquam credidisse hoc falsum, quia sequitur: hoc nunquam fuit falsum, ergo ipse non credidit falsum. Et sic possibile est quod nunquam credidit falsum et, per consequens, quod sine causa fuit damnatus.

Praeterea, revelet Deus Sorti quod Plato salvabitur, et praecipiat sibi quod velit Platonem salvari, et quod conformet voluntatem suam voluntati divinae. Simul cum hoc, pono quod Sortes transgrediatur praeceptum, et invidet Platoni, pro quo peccato damnetur Sortes. Sit igitur quod istud fuit factum ante centum annos et sit adhuc Plato superstes, adhuc est contingens: Plato damnabitur; ergo potest esse vera.

Ponatur in esse, et arguitur sic: Plato est damnatus, ergo Plato nunquam fuit praedestinatus; et ultra: igitur Deus nunquam voluit eum salvari; et ultra: ergo Sortes nunquam voluit difformiter Deo, ergo Sortes non peccavit. Ergo modo potest facere Plato quod Sortes sit iniuste damnatus, qui fuit ante damnatus ad centum annos, per casum.

Praeterea, si revelatum maneat contingens, ergo in potestate mea est facere quod aliquis qui vixit ante mille annos sit propheta, et quod non si propheta. Quia esto quod aliquis prophetaverit me facturum 'a'; sequitur: possum facere 'a' et omittere; ergo possum facere quod dixit verum vel falsum, sicut mihi placet. Sed sequitur: dixit falsum; ergo non prophetavit per diffinitionem prophetiae, quae includit dictum prophetae esse verum. Immo secundum istam prophetiae diffinitio est impossibilis, ergo etc.

Praeterea, Apostolus arguit sic ad probandum resurrectionem[282b]: *si mortui non resurgent, ergo nec Christus resurrexit, 1 Chorintiorum 15*. Et dicit Augustinus, *De doctrina christiana*, libro 2, capitulo 31, hoc est circa finem, quod connexiones Apostoli sunt bonae, licet habeant sententias falsas. Consequens est impossibile, ergo et antecedens, quia, si antecedens sit

contingens, consequentia non valet. Vel oportet dicere quod Deus posset uno modo facere quod Christus nunquam resurrexit a mortuis. Consequens falsum. Item, Micheas propheta, 3 *Regum*, 22, fecit istam consequentiam regi Achabi: *si reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus*. Sed consequens fuit impossibile, igitur antecedens. Igitur illud revelatum Michee non fuit contingens post revelationem.

Praeterea, sicut haec est contingens nunc: 'anima Christi est beata', quia sequitur: 'fuit beata, ergo aeternaliter fuit futura beata, et fuit certa quod aeternaliter foret beata', sed sequitur: 'potest adnihilari, quia creatura est, ergo potest non aeternaliter esse beata, ergo potest nunquam fuisse certa de sua beatitudine, igitur potest nunquam fuisse beata, et per consequens nunquam fuit beata', hoc antecedens est possibile: 'anima Christi potest adnihilari', ergo et ultimum consequens.

Praeterea, Deus non posset certificare hominem de aliquo futuro, nec posset homo certitudinaliter credere vel sperare illud quod Deus promittit nisi deciperetur. Quia quantumcumque asseruerit se aliquid esse facturum, potest post assertionem vel promissionem facere oppositum, quia tale dictum, non obstante revelatione, vel promissione Dei, manet contingens post dictum, vel promissionem, sicut ante. Sed quod istud sit falsum patet per illam auctoritatem: *fidelis est Deus, seipsum negare non potest*, 2 <Ad> *Timotheum*, 2 Glossa. Qui est veritas, non potest negare seipsum, quod faceret, si dicta sua non impleret. Item, <Secundum> *Lucam* 24, Christus dixit discipulis suis post resurrectionem suam: *haec sunt <verba>, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et Psalmis de me*. Si necesse est impleri ea, ergo non contingenter.

Praeterea, si sic, angeli non sunt confirmati, nec diabolus adiudicatus poene aeternae, quia possibile est nullam poenam esse aeternam, quia possibile est quod nunquam fuit adiudicatus poene aeternae. Similiter angelus posset peccare, quia privari gratia et relinqui in solis naturalibus, et sic demereri, et, pari ratione, diabolus mereri. Et Christus posset dixisse falsum cum omnibus qui praedicant suadendo gaudium aliquod aeternum, vel poenam aeternam, et possibile esset omnes qui crediderunt in eum fuisse deceptos, et totam [283a] fidem esse falsam, et Deum fefellisse homines quos docuit.

Praeterea, non minorem certitudinem debet causare revelatio divina quam prophetia. Sed prophetia causat certitudinem veritatis immobilem, ergo divina revelatio. Maior patet, quia tota certitudo quae est in prophetia est propter divinam revelationem. Minor patet per diffinitionem prophetiae et maior similiter quae est ista: 'prophetia est divina inspiratio rerum eventus immobili veritate denuntians'. Ergo, si aliquid est prophetatum esse futurum, illud immobiliter erit futurum, sit praesens; et ultra: necessario erit futurum.

Praeterea, omne illud necessario eveniet, quod sic est futurum, quod non potest esse non futurum antequam sit praesens. Sed omne quod Deus proponit facere est sic futurum, quod non potest esse non futurum antequam sit praesens; ergo omne tale necessario est futurum. Ideo, si Deus se revelet aliquid facturum, illud post revelationem necessario eveniet. Maior patet. Minorem probo per Anselmum, 2 *Cur Deus homo?*, capitulo 17, ubi dicit quod voluntas Dei vult veritatem esse immutabilem et, si proponit aliquid se immutabiliter facturum, illud non potest non esse futurum antequam fiat. Item, in eodem capitulo, loquens de fide Beatae Virginis, quae creditit

filium moriturum, dicit quod vera fuit fides eius, et necesse fuit ita futurum esse sicut ipsa credidit. Tunc arguitur sic: omne quod est a Deo revelatum necesse est fieri postquam est revelatum; ergo nihil postea manet contingens; ergo ista sunt impossibilia: 'hoc fore est contingens', et 'hoc fore est revelatum a Deo'.

Praeterea, si teneor credere quod prophetatum, vel revelatum possit non evenire, ergo non teneor credere prophetae, nec Deo, quia scio, quantumcumque asseruit vel iuravit, quod oppositum dicti sui potest esse verum; ergo non teneor credere quod dictum suum sit verum. Ergo Iudei non tenebantur credere prophetis de Christo, de Messia mittendo, quia, non obstante quacumque prophetia Hieremiae, vel Esaiae de filio incarnando, vel de Messia mittendo, credere debuerunt quod oppositum potuit evenire et, per consequens, prophetia talis non fuit certa.

Praeterea, quod Deus non possit revelare contingentia futura, arguit sic: sit Sortes nunc in charitate et revelet sibi Deus quod cras peccabit mortaliter; ergo Sortes potest hoc licite velle. Consequens impossibile, ergo antecedens. Impossibilitas patet, quia sequitur: vult esse in peccato mortali, ergo est in peccato mortali; et ultra: ergo peccat mortaliter. Et similiter ex eodem sequitur quod licite vult esse in peccato mortali, ergo non peccat mortaliter sic volendo. Consequentia probatur, quia, posito isto casu, Sortes scit Deum velle ipsum cras peccare mortaliter, ergo potest se conformare³ divinae voluntati. Item, eodem casu posito, sequitur quod contradictoria [283b] aliquo modo sint simul vera; igitur casus est impossibilis. Antecedens proba, quia Sorti est revelatum quod peccabit, ergo Sortes volet peccare. Ex alia parte, Sortes scit quod, si peccet, erit miser, ergo non potest velle peccare. Consequentia patet per Anselmum, *De casu diaboli*, capitulo 23, ubi probat quod angelus non potuit praescire casum suum.

Praeterea, si Deus posset revelare propositionem de futuro, qua ratione <revelta et> unam et aliam. Ponatur igitur quod in rei veritate Sortes sit damnandus; ergo potest hoc Deus revelare Sorti. Quo facto, arguitur quod Sortes desperabit, quia tenetur credere Deo, ergo Deus erit auctor istius desperationis, et sic erit auctor peccati.

Praeterea, revelet Deus Gabrieli quod Sortes semper erit in charitate, et simul cum hoc praecipiat Gabrieli quod iuvet Sortem quamdiu est in charitate. Istis positus, adhuc remanet in libera facultate Sorti peccandi, quia nec revelatio eum impediret, nec praeceptum datum Gabrieli manifestum est. Ponatur ergo quod peccat. Quo facto, quaero utrum Gabriel tenetur eum iuvare an non. Si sic, contra: non est in charitate, ergo Gabriel non tenetur eum iuvare. Si non, contra: Gabriel credit quod semper erit in charitate per revelationem, ergo semper tenetur eum iuvare.

Praeterea, revelet Deus Sorti existenti in charitate quod finaliter damnandus est. Quaero tunc utrum Sortes potest iuste orare pro sua salute an non. Ergo, si sic, potest iuste velle oppositum illius quod scit Deum velle per revelationem. Consequens falsum. Similiter, si liceret sibi orare pro seipso casu posito, sic liceret Ecclesiae orare pro hominibus de quibus ipsa esset certa quod damnarentur. Consequens falsum et contra Augustinum, libro 21, *De civitate Dei*, capitulo 24, ubi dicit: „denique, si de aliquibus ita certa esset Ecclesia, ut qui sint illi, scilicet damnandi etiam non nosset, qui, licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen praedestinati sunt in ignem aeternum ire cum diabolo, tam pro eis non oraret quam nec pro ipso”. Ex hac auctoritate arguitur quod revelatum

³ conformare] confirmare

non est contingens post revelationem, quia, si sic, dato quod revelatum foret Ecclesiae de Sorte quod est damnandus et tamen adhuc haec foret contingens: 'Sortes damnabitur, ergo liceret sperare de Sorte et orare pro eo', ergo, secundum mentem Augustini, facta tali revelatione, haec foret ita vera: 'Sortes damnabitur', sicut haec: 'diabolus damnabitur'. Si dicatur quod, casu illo posito, Sortes non potest iuste orare pro salute sua, contra: Sortes est viator, ergo tenetur ex praecepto velle salutem suam. Similiter per casum Sortes est in charitate etiam post revelationem, ergo diligit se ad beatitudinem. Similiter non potest non velle beatitudinem, ergo potest licite orare ut habeat eam. Similiter, facta tali revelatione, tenetur diligere proximum, ergo seipsum, alioquin non servaret ordinem charitatis, ergo iuste potest orare pro salute [284a] sua. Consequentia patet, quia potest iuste orare pro illo quem tenetur naturaliter diligere, et similiter ex praecepto. Ergo etc.

Praeterea, si revelatum a Deo est contingens, sequitur quod haec fuit contingens post assertionem Christi dictam Petro: 'ter me negabis'. Petrus negabit Christum. Consequens falsum, quia sequitur: 'Petrus non negabit Christum, ergo Christus dixit falsum assertive'.

Praeterea, si sic, tunc, postquam sudaverat prae timore mortis, haec fuisset contingens: 'Christus sudavit propter timorem mortis futurae', ergo potuit esse falsa. Et sic sine causa sudasset et frustra timens ubi non erat timor, et fuisset deceptus.

Praeterea, haec esset omnino contingens: 'Gabriel vidit in verbo quod dies iudicii erit'. Consequentia patet, quia sequitur: dies iudicii non erit; ergo verbum nunquam revelavit diem iudicii fore; et ultra: ergo nunquam Gabriel hoc vidit in verbo. Primum antecedens est possibile, ergo ultimum consequens. Falsitas consequentis patet, quia Gabriel revelavit hoc Danieli, sed non revelavit sibi illud, nisi quod vidit in verbo. Sed haec est necessaria: 'Gabriel revelavit hoc Danieli', ergo et ista: 'Gabriel vidit hoc in verbo'.

Praeterea, si ordinatum manet contingens, sequitur quod in potestate Sortis est facere quod Deus praedestinavit eum, et similiter quod Deus eum reprobavit ab aeterno; et sic potest Sortes esse causa suae praedestinationis quae fuit ab aeterno. Et similiter electio Dei dependeret totaliter a voluntate creata. Consequentia patet, quia in potestate Sortis est bene vivere, quia est viator; ergo potest esse praedestinatus et habet hoc in sua potestate. Similiter potest male vivere eadem ratione; ergo etc.

Praeterea, creet Deus unum angelum in naturalibus perfectum in cognitione causarum creaturarum, sed non confirmet eum, et revelet ei in verbo quod Sortes committet homicidium pro quo punietur in inferno poena certa, quae sit 'a'. Volo etiam quod Deus praecipiat illi angelo quod nihil velit nisi quod videt Deum velle. Et pono similiter quod pro prima bona volitione conformi divinae volitioni Deus eum confirmet, et simul cum hoc quod iste angelus velit Sorti poenam, quia videt in verbo Deum hoc velle, et pro hac volitione confirmetur. Isto casu posito, arguitur sic: iste angelus voluit poenam infligi Sorti pro homicidio. Quaero tunc utrum necessario hoc eveniet, an potest non evenire. Si necessario eveniet, habetur propositum, quia revelatum non est contingens post revelationem. Si potest non evenire, arguitur sic: Sortes non peccabit, ergo Deus non voluit Sortem puniri pro peccato 'a'; et ultra: ergo iste angelus nunquam voluit poenam 'a' infligi Sorti. Consequentia patet, quia nunquam vidit hoc in verbo, et nullum alium bonum actum fecit, ergo iste angelus est [284b] confirmatus sine quocumque merito. Antecedens primum, scilicet istud:

'Sortes peccabit', est contingens ad utrumlibet; ergo ultimum. Consequens est possibile, ergo nunc est possibile quod iste angelus nunquam fuisset confirmatus pro merito suo. Item, arguitur sic: iste angelus voluit poenam 'a' Sorti infligi, et Deus nunquam voluit; ergo iste peccavit mortaliter, quia contra praeceptum voluit aliud quam vidit Deum velle. Et pro eodem actu fuit confirmatus, ergo fuit confirmatus propter peccatum mortale. Primum antecedens est possibile, quia una pars est necessaria, scilicet ista: 'iste angelus voluit poenam 'a' infligi Sorti'; et alia pars est contingens, scilicet ista: 'Deus nunquam hoc voluit', et partes sunt compossibiles, quia nihil repugnans necessario est contingens; igitur totum antecedens est possibile. Igitur haec est possibilis: 'iste angelus meruit confirmari, quia peccavit mortaliter', quod est inconueniens. Item, praecipiat Deus Sorti existenti in charitate quod nihil velit nisi quod apparet sibi rationabile, nam hoc praeceptum videtur satis iustum. Pono ergo quod Deus revelet sibi revelatione clara unum effectum contingenter futurum, qui sit 'a' fore', et credat ille per rationem propriam quod 'a' non est effectus futurus; revelatione facta, pono quod vult 'a' fore, sicut videt ex revelatione, et duret sua volitio per horam. Isto casu posito, qui totus est possibilis, sit 'a' fore' adhuc contingens. Probatur quod haec sit contingens: 'Sortes simul fuit in gratia et in peccato mortali'. Consequens falsum. Consequentia probatur sic: Sortes in principio horae, et per totam horam fuit in charitate; patet per casum. Ergo haec est omnino necessaria: 'Sortes per hanc horam fuit modo in charitate', et haec est contingens: 'Sortes in hac hora peccavit mortaliter'. Ergo haec copulativa est contingens: 'Sortes fuit in charitate et peccavit mortaliter', quod autem haec sit contingens: 'in fine horae Sortes peccavit'. Probo, quia in fine horae haec est contingens: 'a' non erit'. Et sequitur: ergo verbum nunquam repraesentavit 'a' fore; et ultra: ergo Sortes nunquam vidit in verbo 'a' fore, ergo voluit 'a' fore sine quacumque ratione. Immo contra ratione: quia existimatione propria Sortes credit 'a' non fore, ergo nihil fuit sibi revelatum in verbo de 'a' fore', et ipse voluit 'a' fore, ergo voluit 'a' fore sine ratione. Et sic contra praeceptum sibi factum, igitur in tota hora peccavit mortaliter. Primum antecedens est contingens, videlicet 'a' non erit'; ergo ultimum consequens, ergo haec est in fine horae date contingens: 'Sortes simul fuit in charitate et in peccato mortali', quod est impossibile.

Praeterea, si revelatum maneret contingens, sequitur quod Deus posset facere praeteritum non esse praeteritum. Consequens est falsum et contra Aristotelem, 6 *Ethicorum*, capitulo 2, ubi dicit: „non consiliamur [285a] de facto, sed de futuro et contingenti. Factum autem non contingit non fieri, propter quod recte dixit Agathon: solo enim ipso privatur Deus ingenta facere quae utique sunt facta”. Consequentia patet, quia, si Deus revelavit Petro quod dies iudicii erit, ideo veritas huius fuit quando Petrus fuit; ergo veritas huius iam est praeterita. Sed Deus potest facere modo quod dies iudicii non erit, ergo potest facere quod nunquam fuit haec vera; et ultra, ergo nunquam fuit veritas huius in Petro, igitur Deus potest facere quod praeteritum non sit praeteritum. Et sic est concedendum quod aliqua res haberi fuit et tamen hodie nunquam potest fuisse, quia veritas huius: 'dies iudicii erit' fuit haberi, et tamen potest nunquam fuisse.

Nono ad principale sic: quod Deus ab aeterno scivit omnia futura talia quae sunt vera contingenter: aut scivit ea necessario, vel contingenter. Si necessario, ergo, posito quod Deus nolisset aliquid creasse, adhuc scivisset istud: 'Antichristus erit', 'Deus producet mundum'.

Consequens falsum. Si contingenter, tunc fuisset possibile quod Deus non scivisset ista. Ponatur in esse et sequetur quod Deus non potuit creare mundum, nec producere muscam, nec aliquid tale. Consequentia patet, quia nihil posset produxisse non scienter; ergo, si possibile fuit eum nihil taliter non scire, possibile fuit eum nihil omnino posse producere; igitur possibile fuit eum non esse omnipotentem. Item sic: aut Deus modo scit Antichristum fore necessario, vel libere et contingenter. Si necessario, igitur impossibile est quod Antichristus non sit, quod Deus non potest nolle Antichristum fore. Et, dato quod nollet, adhuc esset futurus, quia necessario scit eum esse futurum. Si dicatur quod Deus libere modo scit Antichristum fore, igitur potest hoc nescire quando placet sibi. Ponatur in esse, et nihil accidit impossibile: Deus non scit Antichristum fore, ergo non potest creare Antichristum, quia nihil potest creare nisi scienter. Similiter Deus non potest tunc velle Antichristum fore, quia non appraehendit Antichristum fore. Et potest totum argumentum fieri de appraehensione vel de cognitione.

Praeterea, si Deus est, modo est scientia istius: 'Antichristus erit', et potest non esse scientia huius. Ponatur in esse; tunc arguitur sic: Deus fuit scientia istius et modo non est scientia istius; ergo aliqua mutatio facta est in Deo, vel in creatura. Non in creatura, planum est, quia Antichristus nondum est, nec mutatio in aliqua creatura faceret aliquid ad propositum. Igitur Deus potest facere propositionem veram postquam non fuit vera sine productione novae rei vel destructione antiquae et sine mutatione. Nec valet si dicatur quod lapsus temporis sufficit ad hoc quod Antichristus sit futurus vel non futurus; patet. [285b]

Decimo ad principale sic: omne necessario futurum erit, ergo nihil contingenter erit. Antecedens proba, nam Antichristus necessario erit, et pari ratione omne aliud sive quodlibet aliud. Antecedens probatur. Sit 'a' instans in quo Antichristus erit, et arguo sic: in 'a' ita erit quod Antichristus necessario erit, ergo in 'a' Antichristus necessario erit. Consequentia videtur bona. Antecedens proba, quia in 'a' instanti haec erit vera: 'Antichristus necessario erit', quia cum sit primo in 'a', et non solum manet per instans, ergo in 'a' erit haec vera: 'Antichristus necessario erit in 'a''; ergo etc.

Praeterea, si Antichristus contingenter erit in 'a', tunc arguitur sic: in 'a' Antichristus erit necessario, et Antichristus contingenter erit in 'a'; ergo contingenter erit quando necessario erit. Probo illam maiorem, videlicet in 'a' Antichristus necessario erit, quia in 'a' erit haec vera: 'Antichristus necessario erit' et non significabit aliud nisi Antichristum necessario futurum esse; ergo in 'a' Antichristo necessario erit.

Ad oppositum: Deus voluntarie et libere produxit mundum, ergo, antequam produxit, voluit producere mundum et scivit quod nihil impediret suam volitionem, quia est omnipotens; ergo scivit quod mundus produceretur a se, sed hoc nunquam incepit scire; ergo ab aeterno scivit se producturum mundum. Ad quaestionem dico quod sic, sed pro diversis materiis quae tactae sunt in arguendo, facienda sunt decem per ordinem. Primo, volo inquirere an res habuerit esse ab aeterno distinctum a Deo. Secundo, an res creatae habeant, vel habuerunt aliquod esse in Deo. Tertio, an re non existente sint tales propositiones concedendae: 'rosa intelligitur', 'rosa concipitur' et huiusmodi. Quarto, an veritas propositionis sit alia res a propositione. Et haec quatuor tanguntur in primo et quinto et sexto principali. Quinto, inquiretur an Deus potuerit

produxisse mundum ab aeterno. Sexto, an potuerit producere mundum meliorem quam fecit. Septimo, an in propositionibus de futuro sit veritas determinata. Octavo, an Deus possit revelando causare in creatura notitiam futurorum contingentium. Nono, an revelatum a Deo post revelationem maneat contingens. Decimo, restat solvere formas argumentorum.

Circa primum articulum dico plane quod res aliae a Deo nullum esse habuerunt ab aeterno distinctum a Deo, neque esse quidditativum, neque esse potentiale, neque esse repraesentativum, secundum quod diversi antiquitus opinati sunt. Et hoc probatur breviter, quia, si sic, quaelibet res fuisset ab aeterno, quia omne quod habuit esse reale ab aeterno, fuit vera res ab aeterno. [286a] Ergo, si Sortes habuisset esse reale ab aeterno, Sortes fuisset vera res. Sed nulla res alia a Sorte, ergo Sortes fuisset Sortes ab aeterno, et sic nunquam creatus a Deo, nec genitus ab homine. Et eodem modo contingit arguere quod totus mundus fuisset ab aeterno et quod Antichristus vere est modo et nihil foret futurum. Unde de istis quae videtur absurda, non plus ad praesens.

Circa secundum articulum, videlicet utrum res creatae habuerunt aliquod esse in Deo ab aeterno, dico quod, proprie loquendo, nihil est in alio nisi locatum in loco, vel pars in toto, vel forma in subiecto; sed creaturae nullo istorum modorum fuerunt in Deo ab aeterno, et ideo proprie non sunt in Deo. Dicunt tamen sancti creaturas esse in Deo improprie, quia cognoscit eas et potest producere, sicut servus potest esse in domino, quia potest eum monere; vel sicut opus fuit in artifice, quia scivit id facere. Et de istis satis sufficienter dicit Magister *Sententiarum*, libro 1, distinctione 35, capitulo 5: „Omnia dicuntur esse in Deo etc.”, et in fine subdit dicens: „et hoc sensu igitur omnia dicuntur esse in Deo, et omne quod factum est dicitur vita esse in ipso, non ideo quia creatura sit Creator, vel quia ista temporalia essentialiter sint in Deo, sed quia in eius scientia semper sunt, quae vita est”. Haec ille. Nec de hoc articulo est maior difficultas. Unde planius hoc docet Magister in fine distinctionis istius ita dicens: „ecce hic plane aperit Augustinus ex qua intelligentia accipienda sunt huiusmodi verba: *omnia Deo praesentia sunt, in Deo sunt omnia, vel cum Deo, vel apud Deum, vel in eo vita*, quia ineffabilis omnium cognitio est in eo”. Haec ille.

Circa tertium articulum restat videre an, rosa non existente, haec sit concedenda: 'rosa concipitur', 'rosa intelligitur'. Et est hic unus modus dicendi quod sic, quia tales termini 'concupi', 'intelligi', 'cognosci' et eis equivalentes possunt verificari tam de terminis supponentibus pro nihilo sicut pro re. Potest enim homo intelligere esse illud quod nihil est secundum istos. Concedunt enim quod illud quod nihil est, est intelligibile et cognoscibile, immo illud cui repraesentat esse potest intelligi et a nobis imaginando cognosci. Unde intellectus format propositiones de non entibus et habet de eis conceptus tam complexos quam incomplexos. Et dicitur praedicatum inesse subiecto nec pro se, nec pro alio existente, sed pro illo quod nihil est, ac si esset illud. Istud confirmatur per Anselmum, *De casu diaboli*, capitulo 11: „multa enim”, inquit, „dicuntur secundum formam loquendi, quae non sunt aliquid secundum rem. Sicut enim dicimus de aliquo quod habet visum, et visus est in eo, ita dicimus quod habet cecitatem et cecitas est in eo, cum haec non sit aliquid, et hanc [286b] habere non sit habere, quia cecitas non magis est in oculo, ubi debet esse visus, quam non visus vel absentia visus in lapide, ubi visus non debet esse”. Et infra: „multa quoque similiter dicuntur aliquid secundum formam loquendi, quae non sunt aliquid, quoniam sic loquimur de illis sicut de rebus existentibus. Et illo modo malum

significat aliquid, et quod similiter est aliquid non secundum rem, sed secundum formam loquendi.” Et infra: „et tamen negamus aliquid omnino esse quod dicit aliquid, dicimus hoc quod dicit nihil est, nam et hoc et quoddam proprie non dicuntur nisi de eo quod est aliquid. Sed cum ita dicitur sicut modo dixi, non dicitur eo quod sit aliquid, sed quia aliquid dicitur”. Haec ille.

Istud confirmatur per rationes multipliciter. Primo sic: quilibet experitur quod potest cogitare et recordari hominis mortui, aliter non posset homo dolere de morte patris sui, nec orare pro anima patris sui. Item, si non posset hoc, ergo neque conteri et confiteri de peccatis suis. Item, non possemus providere de futuris, quia nec cogitare de eis. Item, homo timet mortem naturaliter, ergo cogitat de morte. Similiter spes et desiderium sunt tantum futurorum, ergo futura sperantur et intelliguntur. Item, omne libere operans praemeditatur opus suum, et edificator praeimaginatur domum, et pictor statuam, alioquin nunquam produceret. Item, omne operans per intellectum et propter finem intelligit finem quem intendit prosequi per operationem; igitur finis, quando non est, intenditur et, per consequens, intelligitur. Et non potest dici quod finis sit in anima, quia sic est agens motum, 12 *Metaphysica*. Finis praeintelligitur secundum esse extra animam, et secundum illud pro tunc non est; igitur etc.

Praeterea, Augustinus, 11 *De civitate* <Dei>, capitulo 10: „Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest: porro, si sciens fecit omnia, ea utique fecit quae noverat. Ex quo”, inquit Augustinus, „occurit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset nisi esset; Deo autem, nisi notus esset, esse non posset”. Item, 15 *De Trinitate*, capitulo 13: „universas creaturas suas et spiritales et corporales non quia sunt ideo novit, sed ideo sunt quia novit. Non enim nescivit quae fuerat creaturus, quia ergo scivit, creavit, non quia creavit, scivit, nec aliter scivit creata quam creanda”.

Praeterea, dato quod vidisses Sortem interficere Platonem et postea Deus utrumque adnihilasset, certum est quod posses recordari et testificari de facto. Unde dicere oppositum est negare sensum.

Praeterea, multa credimus de Christo, sicut eius nativitatem, mortem, resurrectionem, diem iudicii, Antichristum seducere gentes.

Praeterea, si credis Iudeos interfecisse Christum, ergo concipis quid significatur per terminos, ergo [287a] intelligis Iudeos et mortem.

Praeterea, dato quod nihil posset intelligi nisi ens, sequerentur duae conclusiones contra principia Aristotelis. Prima quod haec consequentia erit bona: 'Caesar est in opinione, ergo Caesar est'. Consequentia patet, quia sequetur: 'Caesar est in opinione, ergo Caesar est intellectus'. Falsitas consequentis patet, 2 *Peri hermeneias*, capitulo 2: „at vero unum de pluribus etc.”, ubi etiam negat hanc: „Homerus est aliquid ut poeta, ergo Homerus est”. Secunda conclusio contra principia Aristotelis est quod haec non est acceptabilis: 'b' contingit esse 'a', secundum has duas acceptiones: 'quod est contingit esse 'a'' et 'quod contingit esse 'b', contingit esse 'a''. Nam haec secunda acceptio non foret intelligibilis nisi aliquid posset intelligi quod non est, sed contingit esse.

Praeterea, Aristoteles determinat de infinito et vacuo; ergo infinitum fuit intellectum ab Aristotele et vacuum; ergo contingit intelligere quod impossibile est esse.

Econtrario est opinio aliorum talis quod, posita intellectione rosae in mente Sortis et conservata post adnihilationem et corruptionem rosae, ita quod Sortes nihil aliud intelligit, dicunt igitur quod haec propositio est neganda: 'aliquid intelligitur a Sorte', et haec similiter: 'rosa intelligitur a Sorte'. Et eadem ratione haec est modo neganda: 'Antichristus intelligitur a Deo' et quod ante creationem mundi haec fuisset falsa, si fuisset: 'Deus intelligit mundum', et haec similiter: 'aliqua creatura intelligitur a Deo'.

Pro hac opinione potest argui sic: posito casu priore de Sorte et de intellectione rosae, arguitur sic: omnis universalis est vera cuius quaelibet singularis est vera, sed huius universalis nihil intelligitur a Sorte. Isto casu posito, quaelibet singularis est vera, ergo etc. Minor patet inductive. Similiter sua contradictoria est falsa: aliquid intelligitur a Sorte, quia haec est una particularis cuius nulla singularis est vera; ergo ipsa falsa.

Praeterea, in ista propositione: 'rosa intelligitur a Sorte', vel ista: 'Antichristus intelligitur a Deo', quaeritur an subiectum supponat pro aliquo, an pro nullo. Si pro aliquo, ergo rosa est aliquid contra casum. Si pro nullo, ergo nihil intelligitur a Sorte.

Praeterea, omne quod est aliquid, vel est Deus, vel creatura. Sed intellectum a Sorte est aliquid, ergo est Deus, vel creatura.

Praeterea, sit pater tuus mortuus in rei veritate, et habeas intellectionem patris tui, si esset, et nullam aliam. Et arguitur sic: aut aliquid est intellectum a te, vel nihil. Si aliquid et non nisi pater tuus, ergo pater tuus est aliquid. Si nihil est intellectum a te, habetur propositum: quod tu intelligis et nihil intelligis.

Praeterea, omne intellectum a Deo est aliquid intellectum a Deo; Antichristus est intellectus a Deo; ergo est aliquid intellectum a Deo; et ultra: ergo est aliquid.

Praeterea, si sic, sequeretur quod tales forent concedendae: 'chimera est chimera', 'Antichristus est Antichristus' et consimiles. Consequens falsum, nam arguitur sic: aliquid intellectum est Antichristus, sed nullum intellectum aliud ab Anti[287b]christo est Antichristus: et ultra: ergo illud quod est Antichristus est Antichristus. Ultima consequentia patet, quia in ista propositione 'Antichristus est Antichristus', subiectum supponit respectu verbi de praesenti, et nihil ponitur ibi ampliativum; ergo convertitur cum ista: 'aliquid quod est Antichristus est Antichristus'.

Praeterea, si haec sit vera: 'aliquid est intellectum a Sorte', illo casu posito cum haec propositio sit affirmativa, ergo res significata per praedicatum est res significata per subiectum, et hoc si est propositio mere de in esse et de praesenti. Pari ratione, si Deus conservaret visionem et actum tactus in organis illorum sensuum destruendo oppositum, esset concedendum quod 'a' est visum et tactum. Et sic, patre Sorti adnihilato, haec foret possibilis: 'Sortes tangit patrem suum'; et ultra: 'ergo pater Sorti tangitur a Sorte'; quod est absurdum.

Praeterea, iste modus dicendi confirmatur ex dictis beati Augustini, 11 *Confessiones*, circa medium, ubi inquit quomodo futura et praeterita cognoscuntur, et inter alia dicit sic: „quamquam praeterita cum vera narrantur, ex memoria proferuntur, non res ipse quae praeterierunt, sed verba concepta ex imaginibus earum quae in animo velut vestigia per sensus praetereundo fixerunt. Pueritia quippe mea, quae iam non est, in tempore praeterito est, quia iam non est; immaginem

vero eius, cum ea recolo et narro, in praesenti tempore intueor, quia est adhuc in memoria mea". Et infra magis ad propositum: „quoquo modo se habeat arcana praesentia futurorum, videri nisi quod est non potest. Quod autem iam est, non futurum sed praesens est". Haec ille. Ecce quod plane dicit quod nihil videri potest, et vocat 'videri' id est cognosci; constat quia aliter nihil foret ad propositum suum. Nullus enim dubitat quod non possumus videre oculo corporali futura. Unde consequenter subdit: „Cum igitur videri dicuntur futura, non ipsa quae nondum sunt, id est quae futura sunt, sed eorum signa forsitan videntur quae iam sunt. Ideo non futura, sed praesentia sunt iam videntibus ex quibus futura praedicantur animo iam concepta". Et infra concludit sic: „nec proprie dicitur: tempora sunt tria: praeteritum, praesens et futurum. Sed fortasse proprie diceretur: tempora sunt tria: praesens de praeteritis, praesens de praesentibus, praesens de futuris. Sunt enim haec in anima tria quaedam et alibi ea non video, praesens de praeteritis memoria, praesens de praesentibus contuitus, praesens de futuris expectatio. Si haec permittimur dicere, tria tempora video fateorque tria sunt. Dicatur etiam: tempora sunt tria: praeteritum, praesens et futurum, sicut abutitur consuetudo; dicatur. Ecce non curo nec resisto nec repraehendo, dum tamen intelligatur quod dicitur, neque illud quod futurum est esse iam, neque id quod praeteritum est". Et subdit statim: „pauca enim sunt quae proprie loquimur, plura autem quae non proprie, sed cognoscitur quid velimus". Haec ille. Ex hac autem auctoritate patet quod Augustinus vult dicere quod, proprie loquendo, nihil cognoscitur nisi illud quod est. Unde si di[288a]catur quod Caesar vel Antichristus cognoscitur, hoc ideo dicitur quia species quae foret huius vel illius, si esset, est quae iam cognoscitur.

Praeterea, si isti termini 'concupi', 'cognosci' et 'intelligi' forent ampliativi, ut, quando ponuntur in praedicato, facerent subiectum stare pro non entibus et pro iis quae esse possunt et iis quae esse non possunt, sicut dicit haec opinio, tales propositiones forent concedendae: 'hoc cognitum est cognitum a te, demonstrata aliqua re de qua nullam habet cognitionem', quia subiectum potest supponere respectu talis praedicati pro eo quod non est cognitum. Et sic foret haec concedenda: 'quod non est cognitum est cognitum a te'. Quantum autem ad istos varios modos loquendi, magis est difficultas verbalis quam realis. Unde tales propositiones: 'Antichristus intelligitur', 'Caesar cognoscitur', 'rosa intelligitur' et huiusmodi sunt distinguendae penes ampliationem, eo quod possunt accipi proprie et pro seipsis ad virtutem vocabulorum, et sic sunt falsae. Nam proprie ista: 'Antichristus intelligitur', convertitur cum ista: 'Antichristus est intellectus', quae propositio est falsa, cum subiectum supponit respectu verbi de praesenti, quod nullo modo ampliat. Alio modo possunt tales propositiones accipi pro aliis interdum pro veris secundum voluntatem utentium, ut ista propositio: 'Antichristus intelligitur', accipitur pro ista: 'intellectio quaedam est quae Antichristus, si foret, foret intellectus', vel 'conceptus quidam qui foret conceptus Antichristi, si esset'. Eodem modo ista: 'species Antichristi est', accipitur pro illa: 'species quaedam est quae foret species Antichristi, si Antichristus esset'; et huiusmodi. Nec est philosophicum nec logice dictum, sed solum ad placitum, quod scilicet tales ampliuntur: 'intellectum', 'cognitum', 'conceptum', et huiusmodi. Et ideo, proprie loquendo, videtur quod tales sunt negandae: 'rosa intelligitur', nulla rosa existente, 'Antichristus intelligitur a Deo', 'anima patris mei intelligitur a me', nam illa est manifeste falsa propter aliam causam quae implicatur, scilicet

quod pater meus haberet animam. Conceduntur tamen improprie pro aliis propositionibus. 'Antichristus intelligitur a Deo' conceditur pro ista: 'in Deo est quaedam intellectio qua Antichristus foret si Antichristus esset'; et sic de consimilibus.

Ad primum argumentum alterius viae de auctoritate Anselmi. Anselmus ibidem dicit quod ista pronomina 'hic' et 'quidam' non dicuntur nisi de eo quod est. Similiter Anselmus dicit ibidem quod, quando loquimur de non entibus⁴, de rebus proprie loquimur. Unde auctoritas nihil facit pro eis, sicut cum dicimus: 'cecitas est in oculo', quia haec proprie accepta est falsa, significat enim quod cecitas sit aliquid existens in oculo.

Ad primam rationem, cum dicitur: 'quilibet experitur quod potest recordari hominis mortui', dico quod haec propositio: 'recordor hominis mortui' est falsa, quia ponit oppositum in adiecto in praedicato. Haec tamen: 'recordor Caesaris', conceditur vulgariter pro istis: 'habeo notitiam [288b] quod fuit Caesar', et 'Caesar fuit et non est'. Et certe secundum Augustinum cognitum a me est imago Caesaris et ideo quia habeo imaginationem quae fuit causata a Caesare quando Caesar fuit, et ita utor Caesare non existente. Ideo concedo quod recordor Caesaris. Et ille modus loquendi est introductus propter commoditatem brevitatis, ut utamur sic una cathégorica pro tribus et pro una copulativa composita ex tribus, sicut ista: 'recordor Caesaris' exponitur per has tres: 'cognitio quaedam est in me quae foret Caesaris si esset' et 'Caesar fuit cognitus a me' et 'Caesar non est'. Et sic vere loquimur ad intentionem loquentium, licet improprie secundum vocem.

Ad secundum dico quod homo conteritur de peccatis suis, vel cogitat de illis, id est habet cogitationem qua peccata forent cogitanda, si essent; et illa cogitatio causat dolorem. Constat tamen quod haec est falsa de virtute vocis: 'iste conteritur de peccatis suis, vel pro peccatis suis', si propositiones istae debitae et propriae exponantur ut denotant circumstantiam alicuius rei. Et ideo oportet quod exponantur aliter quam voces propriae praetendunt.

Ad tertium, quando arguitur: 'non possumus providere de futuris etc.', concedo futura non sicut praevisa proprie loquendo, quia nihil est futurum secundum Anselmum supra allegatum, distinguendo futurum contra praesens. Concedo etiam quod utimur multis terminis quasi starent pro rebus, et non stant pro rebus, nec pro re, et tamen denotatur quod stant. Et ideo proprie loquendo dicimus falsum quando sic loquimur: 'hic cogitat vel confert de panno suo emendo', et tamen illa cogitatio de panno suo foret vera cogitatio si haberet pannum. Et similiter, cum dicitur: 'talis homo facit providentiam et providet sibi de tali re', et istis consimilibus. Tota difficultas est in exponendo dicta nostra de futuro. Unde haec propositio: 'homo erit Antichristus', sub ista acceptione: 'quod erit homo est Antichristus', et distinguendo futurum contra praesens, ista acceptio includit contradictoria, quia hoc pronomen 'quod', quomcumque accipiatur, denotat se exercere significatum suum pro aliquo ente. Per hoc patet ad alias formas.

Ad quartum articulum est videndum utrum veritas et falsitas distinguantur a propositionibus quae dicuntur verae et falsae. Dico hic tria. Primo, quod veritas et falsitas non sunt accidentia absoluta, vel inherencia propositionibus distincta realiter ab ipsis. Probatur quadrupliciter. Primo sic: quia sic sequeretur quod per motum digiti mei posset mutare mente angeli, et musca volando mutaret omnes angelos et omnes libros de mundo, posito quod in eis

⁴ entibus] *add.* quod

scriberetur: 'nullum animal movetur', vel aliquod tale. Similiter, musca quiescente, haec esset vera [289a] notitia in angelo: 'musca quiescit'; ergo, ipsa volante, deveniret falsa. Et sic nova res causaretur in angelo, et sic mutaretur. Similiter, musca posset agere ad distantiam infinitam, si esset, et ego possem alterare animam Christi quodcumque moverem me. Et multa talia sequuntur absurda. Et diabolus continue alteraret bonos angelos et animam Christi.

Praeterea, si sic, tunc sola substantia non esset susceptibilis contrariorum sine sui mutatione. Cuius contrarium habetur in *Praedicamentis*, ubi dicitur plane quod propositio non devenit vera de novo et similiter falsa sine sui mutatione. Sed omne quod res est vel non est etc.

Praeterea, si sic, aliqua res posset esse, quam Deus non posset creare. Quia ista propositio potest esse falsa: 'Deus aliquid creat de novo', ergo falsitas illius potest esse. Vel ergo a Deo, vel non. Si non, ergo aliquid potest esse, quod Deus non potest creare. Si sic, ponatur quod fiat. Tunc arguetur sic: haec falsitas fit; haec falsitas est aliquid; ergo aliquid fit a Deo de novo. Quia ponatur quod haec propositio maneat continue, ergo veritas huius est; ergo falsitas huius non est; ergo falsitas illius non causatur a Deo de novo; quod est contra positum. Vel oportet concedere quod haec est similiter vera et falsa, quod est falsum, stante significatione quam modo habent termini.

Quarto, haec potest esse vera: 'Deus nihil creat'. Aut ergo veritas huius potest creari a Deo, vel non. Si non, habetur propositum, quod scilicet aliquid potest esse aliud a Deo, quod Deus non potest efficere. Si sic, ponatur in esse; tunc haec est vera: 'Deus nihil creat'. Et arguitur sic: haec veritas creatur a Deo; haec veritas est aliquid; ergo aliquid creatur a Deo; ergo haec est vera, si est aliquid creat a Deo. Et haec similiter est vera per casum: nihil creatur a Deo; ergo contradictoria sunt simul vera.

Secundo, dico quod veritas propositionis non est res significata per propositionem, quia tunc aliqua propositio esset vera, quae nullam haberet veritatem, ut patet de ista: 'Cesar non est chimera', ubi termini non supponunt pro aliquibus rebus. Similiter: 'omne animal fuit in arca Noe', 'homo erit Antichristus', 'album potest esse nigrum' et huiusmodi.

Praeterea, eadem est veritas duorum contradictoriorum, quia omnia significata per istam: 'Sortes currit', significantur per istam: 'Sortes non currit'; et sic de aliis contradictoriis. Et sic ista forent simul vera et falsa.

Praeterea, talia forent convertibilia: 'homo currit', 'homo non currit'. Et alia sequerentur absurda, sicut quod Deus et diabolus sint una falsitas, scilicet illius Deus est diabolus etc.

Tertio, dico quod est aliqua veritas distincta realiter ab aliqua propositione. Et tamen non dicitur univoce veritas de ea et de propositione. Nam suppono quod haec sit descriptio veritatis: veritas est res significans totaliter sicut est. Et haec res est Deus secundum mentem Augustini, quia est purissima et summa veritas, et secundum Anselmum, *De veritate*. Et haec est veritas cuiuslibet propositionis, vere est sicut vera propositio significat utenti ea, sicut est divina essentia. Significat enim universaliter cui vult, et sibi ipsi naturaliter sicut est. Quia ipsa est una cognitio conformis semper cuicumque propositioni verae in significando. Similiter dicendum est quod notitia angeli est veritas quaedam incomplexa equivalens nostrae notitiae complexae, si non intelligat componendo et dividendo, sicut alibi dictum est et fortasse dicetur. Sed de hoc non plus modo.

Verum videndum est de propositione quae confertur hominibus, et est hominibus instrumentum ad notificandum mutuo conceptus suos. Et de ea sunt dubia.

Primum: an aliqua propositio vocalis posset esse vera, vel falsa. Videtur quod non, quia quod non est, nec est verum, nec falsum. Sed propositio vocalis nunquam est, quia quando subiectum est, praedicatum non est et quando praedicatum est, subiectum non est. Ergo nunquam est sicut per illam propositionem vocalem significatur. Assumptum patet, quia propositio vocalis profertur successive, sicut patet ad sensum, quia voces causantur cum motu locali.

Praeterea, si propositio vocalis posset esse vera, possibile esset quod aliquis proferret eam, et sic talis esset concedenda: 'Sortes profert verum'. Et ponatur quod dicat illam: 'nullus homo est asinus'. Consequens est falsum, quia quaero quando profert verum. Non quando profert primum terminum, nec quando secundum, nec quando tertium, nec quando quartum, quia nullus terminus est verus. Et quando profert primum terminum, non profert secundum, et ita non profert verum. Quia arguo sic: quando profert primum terminum, non profert nisi unam dictionem, videlicet hanc dictionem 'nullus'. Et tunc arguitur sic: ista dictio non est verum, et tamen haec dictio profertur a Sorte; ergo nullum verum profertur a Sorte, quando tantum haec dictio profertur a Sorte.

Sed potest dici quod iste terminus 'profertur' potest sonare in prolato esse vel in proferri. Si in proferri, dicitur quando profert primum terminum: profert verum, id est in proferendo est verum, quia, quando profert partem, est in proferendo totum. Si autem iste terminus 'profertur' sonat in prolato esse, sic proferendo primum, vel secundum, vel tertium non profert verum. Et sic argumentum concludit.

Sed contra, ad istud argumentum datum sequitur quod, quando Sortes incipit proferre istam: 'nullus homo est asinus' et protulit nihil nisi subiectum, si debeat haec concedi: 'iste profert verum', pari ratione deberet haec concedi: 'iste pro[290a]fert falsum', quia prius profert istam propositionem falsam: 'nullus homo est', quam istam veram: 'nullus homo est asinus'. Ergo simul profert verum et falsum et utrumque dicit scienter; ergo simul dicit secundum conscientiam et contra conscientiam. Praeterea, proferat Sortes istam: 'Deus est homo' est animal'. Et sequitur idem quod prius, quia, quando incipit loqui, haec est concedenda: 'Sortes incipit proferre falsum', et Sortes incipit proferre istam: 'Deus est'. Ideo qui incipit proferre istam: 'Deus est', incipit proferre falsum.

Praeterea, audiat Plato propositionem istam: 'Deus est', quando Sortes profert hanc copulativam: 'Deus est homo' est animal', et non audiat plus in hora, quae sit 'a'. Tunc sic: omne quod Sortes protulit in 'a' fuit auditum a Platone; tantum verum fuit auditum a Platone; ergo in 'a' protulit tantum verum; ergo in 'a' non protulit hanc totam copulativam: 'Deus est homo' non est animal'.

Praeterea, qua ratione dicitur quod profert totum quando profert unam partem, eadem ratione quando et aliam. Et sic concedendum esset quod esset in proferendo totam propositionem quando proferret ultimam syllabam. Ergo, quando proferret ultimam, esset in proferendo mediam. Praeterea, haec esset concedenda: 'aliquis protulit verum et potest nunquam protulisse verum' et 'aliquis protulit mendacium et potest nunquam fuisse mentitus'. Nam postquam Sortes protulit illam: 'nullus homo est', potest libere addere 'asinus', vel dimittere. Et tamen certum est quod

protulit mendacium; ergo modo est mentitus et potest nunquam fuisse mentitus. Dato quod nunquam dixerit aliquid scienter falsum.

Praeterea, quod nulla propositio vocalis affirmativa saltem potest esse vera probatur sic: capiatur illa propositio in voce: 'homo est animal'; illa significat ex impositione quod ita est in res, scilicet quod homo est animal et quod res pro qua supponit praedicatum sit res pro qua supponit subiectum; et simul cum hoc significat quod iste terminus 'homo' est iste terminus 'animal', sed haec est falsa. Quod autem sic significet patet, quia significat naturaliter ante impositionem terminorum. Unde, si prolata tunc fuisset 'homo est animal' apud non intelligentes terminos esse significativos, faceret eos concipere quod ille terminus 'homo' esset ille terminus 'animal'. Sed significatio ex impositione non tollit significationem naturalem; ergo modo significat dupliciter: uno modo naturaliter, alio modo ex impositione; ergo etc.

Praeterea, praedicatum et subiectum illius propositionis: 'homo est animal' creat duas intentiones in mente audientis, videlicet intentionem vocis apud illum qui non sciret impositionem seu significationem terminorum, et in[290b]tentionem rei significatae apud illum qui significata intelligeret. Et tunc prima intentio seu intellectio est essentialior et prior, sed altera illarum est falsa; ergo illa prolata generat naturaliter in animo audientis propositionem mentalem falsam; ergo est falsa. Quod autem iste terminus 'homo' sic generet intentionem sui in mente patet, quia est agens naturaliter. Ergo omne quod causat in mente unius audientis aequae dispositi, causat in mente alterius, quia, si agens est idem et passa consimilia, effectus erunt consimiles, 12 *Metaphysica*, commento 11. Sed ista propositio prolata: 'homo est animal', in audiente qui non intelligit quid termini significant ex impositione, nisi id solum quod copula denotat, causat intentionem istorum terminorum sicut patet, quia scit recitare illam propositionem auditam; ergo consimiles intentiones causat in mente alterius qui intelligit quid termini significant ex impositione; ergo in audiente qui intelligit etc., causantur duae intentiones, quarum una significat quod ita est quod homo sit animal, et alia significat quod ille terminus 'homo' est ille terminus 'animal'. Et illa est falsa, ergo prolatum est falsum.

Confirmatur istud, quia magis competit propositioni prolatae causare intentiones consimiles vocibus ex quibus componitur, quam intentiones consimiles rebus quas termini sui significant ex impositione. Quia hoc competit sibi naturaliter, illud autem tantum ad placitum hominum. Ergo essentialius competit istis vocibus 'homo est animal' causare propositionem in mente quae denotet quod iste terminus 'homo' sit iste terminus 'animal', quam causare propositionem mentalem quae denotet quod res significata per illum terminum 'homo' est res significata per illum terminum 'animal'; ergo sibi essentialius competit causare propositionem falsam in mente auditoris quam veram; ergo est falsa.

Praeterea, dicat Sortes istam: 'aliquis homo est Sortes et ille est Plato'. Et arguitur quod secunda pars illius copulativae est falsa, et est propositio vera. Ergo simul falsa et vera. Quod illa secunda pars sit falsa patet, quia denotat quod Sortes sit Plato. Quod autem sit vera probatur, quia est pars unius copulativae verae, scilicet istius: 'aliquis homo disputat et ille est Plato'; ergo est vera; ergo etc.

Praeterea, scribatur illa propositio: 'ego sum Robertus', et non sit alius homo qui vocetur hoc nomine. Tunc quilibet legens eam legit falsum, ergo illa propositio scripta est falsa. Et vocetur aliquis Robertus, et tunc, si legat eam, dicet verum; ergo scriptum est verum et ergo propositio est vera; ergo propositio falsa est propositio vera, quia idem legitur ab eo et ab aliis. Ab aliis legetur falsum, et ab eo qui hoc nomine vocatur, verum. Ergo verum est falsum, et [291a] falsum verum.

Praeterea, haec non dicitur esse vera: 'homo est animal', nisi quia ita est in re sicut significatur ex impositione, vel quia sic est in re sicut consuevimus credere eam significare ad placitum; sed voces non sunt eadem apud omnes, 1 *Peri Hermeneias*. Ponatur ergo quod in aliqua lingua illa propositio 'homo est animal' significet hominem esse lapidem. Pono ergo unum assuefactum ad linguam talem, qui sit Sortes; et Plato sit assuetus ad idioma latinorum, sicut nos sumus. Proferat tunc Cicero illam: 'homo est animal', utroque dictorum audiente. Et non erit maior ratio quare Cicero proferat verum magis quam falsum. Nam Sortes bene respondendo negabit illam, quam Plato similiter bene respondendo pro eodem tempore concedet. Modo fit dubium an ita sit de quacumque propositione demonstrata, et sequetur quod de quaelibet propositione demonstrata homo rationabiliter haberet dubitare an sit vera an non, quia non scit an in alio idiomate significet falsum. Confirmatur istud, quia certum est quod nunquam fuit aliquis unus qui imposuit omnes linguas et, dato quod fuisset, manifestum est quod, si placeret uni multitudini ut uno termino vel pro 'homine' vel pro 'lapide' utatur, poterit in illa significatione uti. Ponatur ergo quod una multitudo, puta latinorum, utatur illo termino 'homo' sicut nos pro homine, et alia, puta barbarorum, pro lapide. Tunc, cum una multitudo sit ita libera ad utendum terminis in quacumque significatione velit sicut altera, Latinus audiens hanc: 'homo est animal', dicet eam esse veram, et barbarus, cui significat hominem esse lapidem, licite dicet eam esse falsam. Et sic erit simul vera et falsa.

Praeterea, sic: proferat Sortes istam: 'Deus est', et sit Sortes surdus, nec sit aliquis alius audiens eum. Quaero an propositio prolata ab eo sit vera, an falsa. Non est falsa, patet per diffinitionem falsi, quia falsum est quod significat aliter quam est; sed haec, cum nihil significet, non significat aliter quam est; ergo non est falsa. Et quod non sit vera, proba per diffinitionem veri, quia non significant termini sicut est in re, quod proba, quia nulli significant; ergo nihil significant. Confirmatur ista ratio per diffinitionem signi, quam dat beatus Augustinus, 2 *De doctrina christiana*, capitulo 1: „signum est res p<ret>er speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire”. Sed prolata a Sorte non ingerit seipsum sensui, quia non auditur, nec facit aliquid in cognitionem venire alicuius hominis; ergo non est signum; et ultra: ergo non significant termini sicut est, ergo etc.

Praeterea, arguitur quod, si sic, erit in potestate mea quod nullum contentum in Evangelio sit verum, vel quod nullum verum sit scriptum in Evangelio, quia possum claudere vel aperire librum. Et si claudam, nemo leget librum; ergo [291b] nihil in eo scriptum est verum, quia nihil ibi scriptum est signum, ut patet per diffinitionem signi iam praemissam. Et communiter dicitur quod signum ostendit unum sensui, et aliud derelinquit in intellectu. Praeterea, in potestate Sortis est facere quamcumque propositionem significare aliter quam est, ergo in potestate Sortis est facere quamcumque propositionem scriptam vel prolatam significare sibi falsum. Sed sequitur:

hoc significat Sorti falsum, ergo est falsum. Ergo in potestate Sortis est facere totam Bibliam falsam.

Pro isto dubio videndum est <primo> quid habet propositio vocalis naturaliter, secundo, quid ex institutione. Naturaliter habet quatuor. Primo, quod producitur successive. Secundo, quod partes non manent. Tertio, quod oratio vocalis est quaedam multitudo vocum, unde ponitur ab Aristotele quantitas discreta. Ex quo sequitur quod hoc nomen 'oratio vocalis' est quoddam nomen collectivum impositum ad significandum multas res non facientes per se unum. Et quia non credo quod vox sit substantia percuciens et percussa, sed qualitas generata per substantiam percutientem et percussam et medium, ideo credo quod oratio vocalis est multae qualitates; et hoc habet a natura. Quartum est quod est naturale signum imaginationis ipsius proferentis. Unde omnis vox profertur cum imaginatione, sicut dicitur 2 *De anima*. Sed ab impositione et ad placitum habet quod significet homini hanc rem exterioriorem quamcumque voluerit. Et secundum quod diverse voces diversimode ab hominibus imponuntur, distinguuntur apud diversos diversa linguarum genera. Ex quo sequitur quod omnis propositio vera potest fieri falsa, et e converso, si omnes homines vellent significationes terminorum mutare. Secundo, habet propositio vocalis cuius termini sunt significativi, quod accipiatur significative, non naturaliter, ex institutione hominum nisi in certis propositionibus, quia secundum voces sunt distinguendae.

Item, notandum est tertio quod propositio vera est quae significat sicut est, et non aliter quam est, et propositio falsa e converso. Ex quibus patet quod eadem propositio est vera et falsa, et eadem propositio est vera et propositio falsa. Tamen nulla propositio vera est propositio falsa, nec aliqua propositio falsa est aliqua propositio vera. Quod autem eadem propositio sit vera et falsa, necessaria et impossibilis, patet in talibus: 'Deus est homo est animal', licet quidam dicant quod est impropria et non intelligibilis, nisi sint duae propositiones. Quod autem ipsa sit falsa et impossibilis patet, quia significat quod haec propositio 'Deus est' sit haec 'homo est animal'. Quod autem sit vera et necessaria patet, quia totum non est aliud quam suae partes, et illa duo 'Deus est', 'homo [292a] est animal' sunt duo vera et necessaria. Similiter quod haec sit concedenda: eadem est propositio vera et propositio falsa, secundum quod est de copulato praedicato manifestum est in propositione copulativa, ut si dicatur 'Deus est homo est animal'. Nam ista copulativa est illae duae propositiones et, per consequens, est haec et illa, demonstratis eisdem. Ergo est propositio vera et propositio falsa. Sed ad illud potest dici quod copulativa non est illae duae propositiones, quia includit aliam partem ab istis, videlicet copulam. Et ideo haec est vera: 'duae propositiones cum copula sunt una copulativa'. Ideo sola prima propositio superius posita est concedenda, videlicet quod eadem propositio est vera et falsa, necessaria et impossibilis.

Uterius notandum quod ab institutione humana est quod propositioni vocali respondeatur ac si esset simul tota in instanti terminante eius prolationem; tamen in rei veritate non est, nec unquam fuit vera oratio vocalis, quia successive producitur, nec partes manent. Unde concedimus tales: haec oratio est vera 'Deus est', pro ista, si ista oratio 'Deus est' esset tota simul et significaret Deum esse alicubi et nihil aliud. Ipsa esset vera; tamen, respondens bene habet dubitare quamlibet talem: haec propositio est vera, quacumque demonstrata, quia, licet ista demonstraretur: 'Deus est', et tantum significaret sibi Deum esse, adhuc habet dubitare an in alio idiomate significaret

forte aliis 'hominem esse lapidem' vel aliquid tale. Et ideo consequentia non valet: est verum mihi, ergo est verum, licet sequatur est falsum mihi, ergo est falsum. Sufficit tamen respondenti quod concedat illud quod est sibi verum in lingua illa in qua communicat cum opponente, et neget quod est sibi falsum. Ex quo patet quod aliquis bene respondendo concedit falsum, sed non sibi falsum, ut si ista 'Deus est', in lingua barbarica significet 'hominem esse lapidem'; latinus tamen bene concederet eam. Similiter aliquis bene respondendo negat verum, sicut si alicui tacenti proponatur: 'tu non loquaris'. Haec esset vera. Et hoc ipso concedente haec est falsa, et tamen bene concedit falsum non obligatus. Et similiter si proferatur: 'tu loqueris', negando bene respondet negando verum.

Uterius sciendum quod, si unus concedat istam: 'homo non est animal', et alius ordine retrogrado: 'animal non est homo', hae sunt duae propositiones prolatae distinctae secundum speciem, licet nulla dictio quae est pars unius distinguatur specie a quacumque parte alterius. Et non valet: ista sunt eiusdem speciei cum istis, ista sunt haec propositio; ergo haec propositio est eiusdem speciei cum ista, quia illae voces 'homo non est animal' non sunt haec propositio vocalis 'animal non est homo', nisi proferantur sic quod ille terminus 'homo' primo pro[292b]feratur, postea non; et sic de aliis.

Ad primum argumentum patet ex dictis quod nulla oratio vocalis est vera, vel falsa, quia nulla talis infert iudicium de ea, sicut est in rei veritate. Quia nunquam est ita sicut per istam denotatur 'propositio vocalis est', sed quia est institutum quod orationes dicuntur instrumenta loquendi. Et ideo non possunt convenienter conceptibus nostris deservire, nisi imaginemur eas quasi res permanentes. Ideo institutum est quod sic debet iudicari de oratione vocali, ac si esset res permanens tota simul existens in ultimo instanti prolotionis, ut dictum est superius. Ideo quando concedimus quod haec oratio 'Deus est' est vera, sensus est: si haec oratio foret res permanens, significaret Deum esse et nihil aliud foret verum. Similiter quando dicimus quod haec oratio 'homo est asinus' est falsa, sensus est: si haec oratio foret res permanens in ultimo instanti prolotionis, et significaret hominem esse asinum, esset falsa. Et quia hoc in omnibus propositionibus est negandum seu concedendum, longum foret exponere. Ideo debet homo doceri in usu et institutione humana gramaticam et logicam semel pro semper.

Ad secundum, quando arguitur quod tunc haec foret concedenda: 'Sortes profert verum etc.', dico concedendo illam: Sortes profert verum sicut dicebatur ad illum intellectum, id est in proferendo verum. Et concedo quod est simul in proferendo falsum et verum, sed iudicium de prolato debet sumi secundum iudicium de totali prolato. Quia sic est institutum ab hominibus ad commodius exprimendum conceptiones nostras. Et cum dicitur tunc, quando profertur 'homo est asinus': 'simul profertur verum et falsum, et simul est in dicendo secundum conscientiam et contra conscientiam', respondeo quod non utimur tota prolotione ac si omnes partes forent res permanentes in ultima prolotione. Ideo a tota oratione quam intendit dicere, denotatur verax vel mendax, non a parte orationis prolatae. Et cum replicatur quod, si proferat istam: 'Deus est homo est animal', conceditur quod sit propria et intelligibilis. Et cum dicitur: 'incipit proferre falsum', et 'incepit proferre istam 'Deus est', ergo haec est falsa', consequentia non valet, quia simul non

intendit proferre verum et falsum, quia totum vocale prolatum est falsum. Etiam ad illud fuit responsum.

Ad tertium, quod incipit proferre falsum, unde concedo quod Sortes in 'a' non protulit nisi verum in 'a'; tamen haec fuit vera: 'Sortes profert falsum', exponendo ly 'profert', id est 'est in proferendo', et sic concedo quod simul profert verum et falsum, et totum et partes.

Ad quartum concedo quod, quando profert, id est in proferendo ultimum terminum, est in proferendo to[293a]tum, accipiendo ly 'totum' cathegoreumatice.

Ad quintum, quando arguitur: 'si sic etc.', nego consequentiam et consequens, quia, si protulit verum, necesse est quod protulit verum. Et non sequitur: ''a' immediate ante hoc fuit verum, ergo Sortes profert verum', sic exponendo ly 'profert', id est est modo in proferendo verum, ita quod, prolata prima syllaba, haec est concedenda: 'haec fuit vera: Sortes profert verum; ergo hoc est modo verum: Sortes protulit verum'. Si tamen aliter exponatur ly 'profert', consequentia foret bona, sed antecedens est falsum in casu argumenti.

Ad sextum dico quod haec propositio vocalis: 'homo est animal', nihil significat naturaliter, sed debet accipi secundum suam significationem ad placitum, nec aliam habet, nec aliquo modo denotatur per eam naturaliter quod ille terminus 'homo' sit ille terminus 'animal'. Unde negandum est quod argumentum assumit.

Ad septimum, quando arguitur: subiectum illius propositionis 'homo est animal' causat duas intentiones in mente audientis, quia causat intentionem rei quae est homo per significationem suam quam habet ex institutione, et causat intentionem huius termini 'homo' per significationem naturalem, et eodem modo copulat praedicatum; ergo haec propositio causat duas propositiones mentales – hic potest dici concedendo quod quilibet terminus significativus et significative sumptus huius propositionis vocalis 'homo est animal' causat in anima duas intentiones, vel natus est causare; tamen haec non causat duas propositiones mentales, sed unam mentalem solum. Ad cuius evidentiam dico quod, quando pica audit illam propositionem 'homo est animal', intentiones horum terminorum sunt in organo phantasie illius picae, ita quod intentio illius termini 'homo' est species eius, et nullo modo repraesentat hominem, non plus quam ille terminus 'asinus', sed tantum repraesentat hanc vocem 'homo'. Eodem modo, intentio illius termini 'est' non significat illud quod significat ad placitum illa vox 'est', vel quod significat naturaliter conceptus mentalis copulae quando formo talem mentalem: 'homo est animal', sed intentio illius termini 'est' causata in capite picae cui repraesentat hanc vocem 'est'. Modo impossibile est quod aliqua congeries dictionum vel conceptuum sit propositio, nisi aliquis terminus de numero ipsorum sic significaret sicut copula vocalis vel scripta significat, vel naturaliter sicut copula mentalis. Et ideo sicut ille tres intentiones in capite cuiuscumque 'homo', 'lignum', 'animal' non sunt propositio, ita nec ille tres intentiones quae sunt similes trium vocum, et ideo nec per illam, quia per nullum incomplexum denotatur complexum, aliquid significatur. Et secundum hoc est dicendum licet causentur [293b] in mente hominis sex intentiones, prolata illa propositione, quarum tres repraesentant tres voces, et tres repraesentant tria significata ad placitum; per tres voces tres causatae non sunt proprie propositio, et tres aliae una propositio. Et ideo per tres intentiones trium vocum nec denotatur complexio, nec quod ille terminus 'homo' sit ille terminus 'animal', nec aliquod aliud complexum denotatur. Et

ita ad argumentum conceditur quod subiectum facit duas intentiones in mente. Sed ista propositio non causat nisi unam intentionem mentalem, quia significatio quae repraesentat naturaliter vel phantasialiter duas voces non facit propositionem, sed quamdam congeriem intentionum, qualis potest in phantasia unius pecoris terminari. Ad hoc enim quod fiat propositio oportet quod aliqua diffinitio significet ita sicut significat. Et licet sint ibi duplices intentiones, est tamen una propositio, quia non nisi unum complexe denotatur.

Ad ocatvum dico quod secunda pars huius copulativae: 'aliquis homo est Sortes et ille est Plato', est falsa. Et una alia similis, ut quae est pars huius copulativae: 'aliquis homo disputat et Plato est ille', si ita sit quod Plato disputet, est vera. In huiusmodi propositionibus, quarum subiecta vel praedicata sunt propria nomina vel pronomina demonstrativa sive relativa, concedendum est quod duae propositiones omnino similes in voce per omnia se habent sic quod una est vera et alia falsa, quia in una propositione iste terminus 'ille' refert Sortem, et in alia Platonem. Et ideo nihil est ad propositum.

Ad nonum dico quod illud scriptum: 'ego sum Robertus' nec verum est, nec falsum, quia haec scriptura 'ego' nihil significat nisi istam vocem 'ego', quae vox significat proferentem quando profertur cum imaginatione. Unde dico quod ille qui legit, si vocetur Robertus, dicit verum; si non, profert falsum. Et concedo quod uterque legit hanc scripturam bene, sicut debet, et tamen unus dicit verum, et alius falsum. Et cum dicitur: 'ergo scriptum est verum et falsum', nego consequentiam. Concedo tamen quod illud scriptum repraesentat propositionem veram et propositionem falsam in voce, si simul a diversis proferatur, quorum unus vocatur Robertus, et alius non vocatur Robertus. Sed ipsum scriptum nec est verum, nec est falsum. Hoc specialiter dico propter scripturam propositionis demonstrativi. Et dicunt aliqui quod legere propositionem scriptam nihil aliud est, nisi videndo illam proferre propositionem sibi equivalentem in voce sibi correspondentem. Sed illud non bene dicitur, quia legere plus importat, quia, ponamus quod pica sic doceatur loqui et dicere hanc propositionem: 'ego sum Robertus', et dicat illam videndo li[294a]brum ubi talis propositio scribitur, tunc pica non legit, certum est. Similiter laicus videndo potest dicere orationem dominicam, quam tamen nescit legere. Et ideo, ad hoc quod scriptum dicatur legi ab aliquo, requiritur quod scriptura causet in illo imaginationem vocis correspondentis signis seu figuris scriptis per actum videndi, et quod tunc proferat voces illas figuris scriptis correspondentes. Et tunc vere legit.

Ad decimum dico quod, sicut unus terminus potest esse equivocus a casu vel a consilio, ita potest una tota propositio. Unde satis possibile est quod haec propositio vocalis 'Deus est', quae mihi significat Deum esse, significet uni barbaro hominem esse asinum. Sed ex hoc non sequitur quod propositio vera sit propositio falsa, sed bene sequitur quod talis sit propositio falsa. Et ideo concedo quod ista est vera, quacumque demonstrata; hanc habet quilibet respondens non obligatus dubitare, latinus tamen concedens istam 'Deus est', bene concedit, si nihil aliud supponat, quia apud eum haec est vera. Et cum dicitur quod istam 'Deus est', si proferatur coram barbaro et latino, barbarus bene negabit, et latinus bene concedet, conceditur quod secundum mentalem intentionem quam causat in audiente propositio vocalis audita, debet respondens respondere. Et ideo in mente latini causatur mentalis significans Deum esse, et nihil aliud, et in mente barbari conceptus mentis

significans hominem esse asinum, et nihil aliud. Ideo unus bene negat, quia negat sibi falsum, et alius bene concedit, quia concedit sibi verum. Et in tali concessione supponit concedens quod propositio prolata nihil significat nisi quod per mentalem denotatur. Unde, quando proponitur ista latino: 'Deus est', concedit eam, quia supponit quod haec propositio significet Deum esse, et nihil aliud, et tamen habebit dubitare an haec est vera: 'Deus est', ut dictum est prius.

Ad undecimum dico quod, si surdus proferat hanc: 'Deus est', illud complexum 'Deus est' significat verum, et profert propositionem veram, quia illud complexum est institutum ad significandum et ita est sicut significat et, licet nulli significet actu, bene tamen nata est significare ex sua institutione. Nec valet consequentia: 'nulli significat, ergo non significat'. Et ad probationem de diffinitione signi et de libro clauso, dico quod termini positi in diffinitione qui sonant in actum, debent exponi ut sonent in aptitudinem, ut dicatur scilicet signum est etc., **qua** nata sunt devenire in notitiam alterius.

Ad duodecimum, cum dicitur: 'in potestate Sortis est facere propositionem significare aliter quam est', concedo quod, si Sortes velit mutare significationem termini[294b]norum, potest facere quod, audita hac propositione: 'Deus est', potest sibi formare hanc mentalem: 'canis currit'. Et sic concedo quod homo potest falsificare totam Bibliam et omnes articulos fidei per mutationem significationis terminorum. Contra: unus homo non potest mutare significationem istius: 'Deus est', nisi alii voluerint. Nego, quia potest facere quod sibi significet aliter quam prius, et sic sibi significat falsum, aliis tamen significat verum, quia non sequitur: 'est sibi vera, ergo est vera', licet sequatur: 'est sibi falsa, ergo est falsa'.

Quinto, restat videre an Deus potuit producere mundum ab aeterno. In hoc articulo dico tria. Primum est quod haec propositio: 'mundus fuit ab aeterno', non potest demonstrative probari nec improbari, et ideo est problema neutrum; patet 1 *Topicorum*. Dico secundo idem de hac propositione: 'mundus fuit creatus, vel conservatus a Deo, vel effective productus ab aeterno'. Tertio, dico quod haec includit contradictionem: 'mundus fuit creatus a Deo ab aeterno, vel effective productus ab aeterno'.

Probatur haec multipliciter. Primo sic: omne producens aliquid de non esse ad esse libere et per intellectionem prius intellexit illud non esse quam esse; sed, si Deus ab aeterno produxisset mundum de non esse ad esse, per electionem et libere, igitur si ab aeterno produxisset etc., prius intellexisset mundum non esse quam esse, quod includit contradictionem, quia sequitur: 'Deus ab aeterno produxit mundum, ergo mundus fuit ab aeterno'; et ultra: 'ergo nunquam Deus intellexit mundum non esse'. Maior patet, quia agens intelligens aliquid semper esse non posset producere illud de non esse ad esse. Et similiter, agens intelligens semper aliquid fuisse non potest illud producere de non esse ad esse. Si Deus ergo intellexisset ab aeterno mundum fuisse ab aeterno, igitur non potuit mundum producere de non esse ad esse. Minor probatur, quia nihil potest producere ad esse nisi libere. Confirmatur ratio, quia omne quod extrahitur de non esse ad esse, prius fuit in potentia ad esse quam habuit esse, et omne tale incepit esse; ergo nihil tale potuit esse ab aeterno.

Praeterea, si Deus potuit mundum producere ab aeterno libere, ponatur quod ita fuerit. Quo supposito, quaero utrum scivit se unquam creare mundum an non. Si non, ergo nunquam libere

creavit. Si sic, ergo Deus aliquando sic scivit esse sicut per hanc denotatur: 'Deus creat mundum'. Si quandocumque sic scivit esse, etiam simul scivit ita esse sicut denotatur per hanc copulativam: 'Deus nunc creat mundum' et immediate 'ante hoc mundus non fuit'. Si Deus nunquam creavit mundum, Deus scivit mundum non esse prius et post incipere. Ista ratio supponit quod creatio mundi fuit [295a] subita, et ideo sive hoc ponatur, sive non, arguo sic: quaero, ponendo mundum fuisse ab aeterno et tamen creatum a Deo, utrum mundus fuisset creatus subito an successive. Si in instanti, sit illud 'a', et tunc non est imaginabile ponere mundum creatum in 'a', et tamen non incipere esse in 'a'. Si successive, quaero utrum per tempus infinitum an finitum. Si infinitum, ergo nunquam mundus fuisset productus. Si per finitum, sit ita, gratia exempli, quod per diem; ergo ante diem illum non fuit mundus; ergo illo die mundus incepit et, si mundus incepit, ergo non fuit ab aeterno. Sed respondetur aliter negando illud assumptum: 'quandocumque Deus scivit illam: 'Deus creat mundum', Deus scivit istam copulativam etc.'. Contra: si Deus unquam creavit mundum, Deus scivit tunc sic esse sicut per primam partem copulativae denotatur, quod scivisset hanc: 'si scivisset Deus, Deus creat mundum'. Si ergo tunc non scivit simul sic esse sicut per secundam partem copulativae denotatur, ergo scivit tunc sic esse sicut per oppositum secundae partis denotatur. Ergo creando mundum scivit istas, si fuissent: 'Deus creat mundum' et tamen 'immediate ante hoc mundus non fuit'. Sed sequitur: immediate ante hoc mundus non fuit, ergo tunc scivit istam copulativam: 'Deus creat mundum et mundus prius fuit'. Consequens concludit contradictionem, nisi velimus dicere quod mundus fuerit ante illam creationem, et post destructus et iterum renovatus. Quod nihil est, et contradicit proposito, quia arguo idem de ultima creatione quae usque nunc dicitur durasse.

Praeterea, si Deus potuit creasse mundum ab aeterno, potuit creasse solem ab aeterno. Ponatur quod ita fuerit, et arguo sic: Deus creavit solem ab aeterno; ergo creavit eum in aliquo gradu alicuius signi in coelo. Sit ille gradus 'a'. Tunc quaero utrum 'a' gradum sol acquisivit per motum an non. Si sic, ergo sol movebatur ad 'a', ergo non fuit creatus in 'a', quod est oppositum positi. Si non, ergo non movebatur antequam fuit in 'a'. Et per unam horam tantum fuit in 'a'. Sit illa, gratia exempli, 'b'. Transacta ista hora, cum venisset ad 'b' gradum immediate sequentem 'a', haec fuisset vera, si fuisset: 'sol non est motus nisi per unam horam' et sic simul: 'sol incepit intrare 'b', et nunquam fuit prius in 'b''; ergo sol ante incepit moveri, ergo non fuit ab aeterno.

Praeterea, sit 'a' gradus caput arietis; tunc Deus, quando creavit solem, scivit istam: 'sol est in capite arietis et nunquam prius fuit in capite arietis'. Et annus erit antequam redeat ad caput arietis, ergo tunc scivit quod nunc incepit primus annus mundi. Ergo pertransacto signo piscium, Deus scivit illam nunc secundo: 'sol est in ariete'; quia primus annus mundi est completus; ergo mundus incipit. Quod [295b] est propositum.

Praeterea, in eodem instanti quo creabatur sol, quaero an illuminavit horizontem nostrum, an hemispherium aliorum, scilicet antipodum nostrum. Si nostrum, ergo nox fuit eis, ergo dies nostra praecessit diem eorum; ergo est dare primum diem eorum; ergo totum tempus est finitum. Si dicitur quod sol prius illuminavit hemispherium eorum, idem argumentum procedit, quod tunc dies eorum praecessit primum diem nostrum.

Praeterea, sit quod sol fuit creatus in eclipsi et sit instans creationis 'a'. Quaero an inter 'a' et primam eclipsim fuit tempus finitum, an infinitum. Si infinitum, ergo nunquam fuit illa eclipsis nisi post tempus infinitum interceptum inter 'a' et ipsum, quod non est imaginabile. Si per finitum, sit per unum annum; ergo sol non fuit ante eclipsim suam nisi per unum annum, ergo incepit esse.

Praeterea, ponatur quod Deus ab aeterno produxisset mundum et simul cum hoc sciat istam propositionem: 'Deus non potest facere quin mundus fuerit'. Quaero utrum ista semper fuit vera an non. Si sic, ergo Deus nunquam potuit facere quin mundus fuit; ergo mundus non fuit productus a Deo libere. Si non semper fuit vera, ergo aliquando fuit falsa. Ergo tunc sua opposita fuit vera, quia ponatur a principio argumenti quod Deus scit illas duas et capio mensuram in qua ista affirmativa fuit vera: 'Deus potest facere etc.', et sit 'a'. Contra: in 'a' mundus fuit, ergo in 'a' ista est necessaria: 'ante 'a' mundus fuit'. Ergo Deus non potest facere quin mundus fuit, quia 6 *Ethicorum*: „hoc solo privatur Deus etc.”; ergo non est possibile quod Deus ab aeterno creavit mundum, et tamen libere.

Praeterea, si sic, ergo potest produxisse hominem ab aeterno; sit ille 'a'. Quaero utrum 'a' vixisset per tempus finitum, an infinitum. Si per infinitum, nunquam fuisset mortuus, ergo adhuc viveret. Si per finitum et inter mortem eius et diem hunc non est nisi tempus finitum, ergo totum tempus a sua creatione usque nunc est finitum; ergo mundus incepit esse.

Praeterea, demonstratis omnibus hominibus, haec est vera, posito isto casu, et simul cum hoc quod ab eo fuissent derivati per generationem omnes homines praeter eum, sicut dicimus de Adam, haec inquam fuisset vera: 'tantum 'a' fuit ingenuus'; ergo 'a' nullus alius praecessit, et non vixit nisi per centum annos; ergo nunquam fuit ab aeterno.

Praeterea, in omni ordine sibi invicem succedentium, illud quod est antequam nullum et postquam quodlibet aliud ab illo istius ordinis, illud est simpliciter primum illius ordinis. Sed si Deus ab aeterno creasset unum hominem a quo derivata fuisset humana posteritas, ille fuisset antequam nullus homo praecessisset, et post[296a]quam quilibet homo alius; ergo fuisset simpliciter primus; ergo tota illa multitudo habuit simpliciter primus; ergo omnes alii fuissent finiti numero. Confirmatur illa propositio per auctoritatem Hilarii, 7 *De Trinitate*, quia Filius non est de nihilo, ergo non habet esse de novo; ergo secundum eum omne quod fuit de nihilo habet esse de novo; et Hugonis, *De sacramentis*, libro 1, capitulo 1: „non fuit possibile Deo habere creaturam coeternam”; praeterea, Anselmi, *Monologion* 6: „si quid est ex nihilo per aliquid, necesse est ut illud, per quod est, prius sit”.

Contra primam, qua dicitur mundum fuisse aeternaliter, est problema neutrum. Et contra secundam sic arguitur et probatur multipliciter quod includat contradictionem 'mundum fuisse ab aeterno'. Primo sic: infinito repugnat esse pertransitum, sed, si mundus fuisset ab aeterno, multitudo infinita fuisset pertransita, quia infiniti homines fuissent mortui. Tunc arguitur sic: quilibet eorum fuit futurus, ergo tota multitudo fuit futura; et nunc est praeterita, ergo infinita multitudo est pertransita.

Praeterea, infinito repugnat excedi, sed, si mundus fuisset aeternus, una multitudo excederet aliam in infinitum; ergo etc. Maior probatur, quia omne excessum ab alio est finitum. Minor ostenditur, quia plures fuissent digiti quam homines, et revolutiones lunae quam solis etc.

Tertio, in omni die potuisset creasse unam animam et conservasse et sic, per consequens, iam foret altera multitudo infinita actu. Consequens impossibile secundum quosdam, immo de facto, posita aeternitate mundi, infiniti homines fuissent, et cum anima sit incorruptibilis, essent nunc infinitae animae.

Quarto, demonstratis omnibus hominibus qui fuerunt, quilibet eorum fuit posterior sole; ergo sol praecessit istam multitudinem; ergo illo priori in quo sol praecessit non fuit aliquis homo; ergo ab aeterno non fuit homo.

Quinto, si sic, pars non esset minor suo toto, quia a tota multitudine hominem aufero decem, quaero utrum residui sint finiti, an infiniti. Si infiniti, ergo tota multitudo residua non est minor tota multitudine hominum, ergo tot cum decem non sint plures quam tot sine decem.

Praeterea, si sic, Deus non potest creare plures animas quam fecit, quia da quod sic, tunc possent esse plures animae quam infinitae.

Ad primam cum dicitur: 'infinito repugnat esse pertransitum', dico quod possumus loqui de infinito dupliciter: vel de infinito secundum quantitatem continuam, sicut de infinita magnitudine; vel secundum multitudinem, et hoc dupliciter: vel quod sit infinita actu, vel potentia, sicut est multitudo partium proportionalium in continuo. Similiter 'esse pertransitum' potest dupliciter exponi. Uno modo exponitur in successivis per esse primo futurum et postea praeteritum, sicut dicimus quod dies praeterita est pertransita. Alio modo exponitur in permanentibus esse pertransitum per hoc quod aliquid motum est ab extremo ad extremum alicuius quantitatis, et sic dicimus quod magnitudo super quam est factus motus aliquis est pertransita a mobili, cum pervenerit usque ad finem per medium illius. Tunc ad propositum, cum dicitur: 'infinito repugnat esse pertransitum', nego istam, si intelligatur de quanto infinito, quia nullum tale est, et ideo nihil sibi repugnat. Et quando arguitur: si mundus fuisset ab aeterno, multitudo infinita fuisset pertransita, dico quod nullum inconveniens est concedere illam propositionem, quia quolibet tempore pertransito, infinita multitudo est pertransita. Et similiter, pertransita quacumque magnitudine quantumcumque parva, concedendum est quod infinita multitudo est pertransita, quia omnis magnitudo est una multitudo infinita, nam unus numerus seu magnitudo est unum, duo, tria, et sic in infinitum, capiendo illam ut est de copulato extremo. Et sic concedo quod infiniti homines fuissent mortui, si mundus fuisset ab aeterno. Et cum dicitur: 'quolibet illorum fuit futurus', demonstratis omnibus praeteritis, potest dici quod est falsa, quia est implicativa falsi. Implicat enim quod aliqui fuerunt homines illi, et tunc est neganda haec, scilicet 'tota multitudo hominum fuit futura', quia infinita multitudo non est aliqua una multitudo. Aut potest dici quod tota multitudo hominum praeteritorum non fuit futura, et ideo non est modo pertransita, proprie loquendo de pertransito. Similiter qui negant illas consequentias: 'a' erit, ergo 'a' est futurum; 'a' fuit, ergo 'a' est praeteritum', haberent negare istam: 'multitudo hominum est pertransita', quia ille terminus 'multitudo' supponit pro multitudine quae est. Ergo illa consequentia potest negari: 'quolibet illorum fuit futurus, ergo multitudo fuit futura', sicut non sequitur: 'quolibet illorum est praeteritus', demonstratis omnibus de choris angelorum, 'ergo haec multitudo est praeterita'. Nec sequitur: 'quolibet illorum fuit futurus, ergo omnes isti fuerunt futuri'. Et licet haec sit falsa: 'tota multitudo hominum fuit futura', haec tamen est vera: 'infiniti homines fuerunt futuri'. Et, si in hac

propositione: 'infinita multitudo fuit futura', ille terminus 'infinita' possit stare synkategoreumatice. Concedo quod est vera et sic concedo similiter istam: 'infinita multitudo est pertransita, ergo omnes illae unitates sunt pertransitae', sed nego, ergo: 'tota multitudo fuit futura' et similiter hanc: 'tota haec multitudo est praeterita'.

Contra: quaelibet unitas illius multitudinis est pertransita, ergo omnes illae unitates sunt pertransitae, ergo tota multi[297a]tudo est pertransita.

Item, tota illa multitudo fuit et nulla unitas istius modo est, ergo tota est praeterita.

Item, quaelibet unitas istius multitudinis est praeterita, ergo omnes unitates sunt praeteritae.

Ad primum potest dici quod consequentia non valet, sicut nec ista: 'quodlibet istorum distat a 'b', ergo omnia distant a 'b'', sit 'b' ultimus punctus unius lineae, ponendo puncta et lineas et demonstro per ly 'istorum' omnia puncta praeter 'b'. Vel, si dicatur quod non possunt demonstrari per illud pronomen – et hoc credo verum, cum pronomen nihil significet, nisi quando homo utitur vocabulo illo demonstrando aliquid certum, et constat quod non est possibile quod homo demonstret infinita –, propter istam responsionem volo quod 'a' sit terminus correspondens cuilibet puncto in linea quae sit 'c', praeter 'b'. Et tunc haec est concedenda: 'quodlibet 'a' distat a 'b'', et tamen haec est neganda: 'omnia 'a' distant a 'b'' accipiendo ly 'omnia' collective. Similiter ista est neganda: 'tota multitudo 'a' distat a 'b'', quia tunc inter totam multitudinem 'a' et 'b' esset linea et essent media, et illa sunt quedam. Ergo 'a' et 'b' etiam mediant inter totam multitudinem 'a' et 'b', et hoc accipiendo semper ly 'totam' kategoreumatice. Et a simili nego consequentiam: 'quaelibet unitas illius multitudinis est praeterita; ergo omnes unitates sunt praeteritae', capiendo ly 'omnes' collective, licet antecedens istius consequentiae sit negandum apud illos qui dicunt quod hoc verbum praeteriti temporis 'fuit' non potest vere et licite exponi per 'est praeteritum', nec hoc verbum 'erit' per 'est futurum'.

Sed contra, capio istam: omnes unitates istius multitudinis sunt pertransitae, quia, si hoc est falsum, vel hoc est in toto, vel in parte. Si in toto, ergo quilibet homo qui fuit est et sic nunquam adhuc homo moriebatur. Si in parte, ergo omnes unitates huius multitudinis non sunt pertransitae; ergo aliqui qui moriebantur non sunt pertransiti.

Potest dici quod haec: 'omnes unitates sunt pertransitae', est distinguenda, eo quod ly 'omnes' potest teneri collective, vel divisive. Si divisive, propositio est partim vera et partim falsa, quia est universalis cuius quaelibet singularis est vera praeter unam. Similiter ista: 'omnes partes Sortis sunt aliquid minus Sorte' si est universalis, habet quamlibet singularem veram praeter unam, in qua sunt simul singulae partes Sortis. Et illa singularis convertitur cum sensu colectivo, sicut ista: 'omnes apostoli sunt duodecim', accipiendo ly 'omnes' collective. Et sic est in qualibet propositione dicendum quod una singularis illius universalis est falsa, quia convertitur cum colectivo. Ideo dico quod haec universalis: 'omnes apostoli sunt duodecim', est partim vera et partim falsa, hoc est: habet aliquam singularem falsam et aliquam veram. Et dico sic, quod omnes istae unitates sunt pertransitae, secundum quod [297b] est universalis habens unam singularem falsam in qua denotatur demonstrari quod aliquam sunt infinita, et quod illa sunt quodammodo quae aliquando fuerunt futura, et nunc sunt praeterita. Si autem ly 'omnes' tenetur collective, tunc est una propositio singularis de qua non potest quaeri an sit in parte vera et in parte falsa, quia

propositio singularis non habet veritatem nisi pro se. Ideo ipsa falsa. Haec tamen propositio: 'omnes istae unitates sunt pertransitae' non potest distingui, sicut nec illa: 'omnes isti apostoli sunt duodecim', demonstratis duodecim, quia illa oratio convertitur cum singulari et est propositio singularis. Ideo argumentum non procedit, ut patet.

Ad aliam formam, nego illam consequentiam: 'tota illa multitudo fuit, et nulla eius unitas est; ergo tota est pertransita', licet similiter antecedens sit falsum propter falsam implicationem, scilicet quod illa multitudo sit una tota multitudo.

Ad tertiam similiter nego consequentiam, sed concedo antecedens. Concedenda tamen videtur ista: 'infiniti homines fuerunt futuri et praeteriti', quia non sunt modo praesentes, nisi forte impediret falsa implicatio in hoc pronomine 'qui'.

Ad secundum principale cum dicitur: 'infinito repugnat excedi', nego illam, quia unum infinitum potest excedere aliud, si esset in casu infinitum. Similiter corpus infinitum, si esset, excederet superficiem infinitam, si esset, et superficies infinita, si esset, lineam infinitam, si esset. Nec valet talis consequentia: 'hoc infinitum excedit illud; ergo excedit illud in duplo vel in triplo etc.'. Verumtamen si excedens et excessum sint eiusdem rationis et speciei in genere quantitatis, consequentia est bona. Ad probationem, cum dicitur quod plures fuissent revolutiones lunae quam solis etc., potest dici negando quia, licet in mille hominibus sint plures digiti quam homines, non tamen in infinitis hominibus sunt plures digiti quam homines, quia infiniti digiti et infiniti homines.

Aliter aliqui dicunt ad istud argumentum, quod una multitudo infinita est maior alia, et concedunt quod plures fuerunt revolutiones lunae quam solis. Dicunt etiam quod, sicut inter ternarium et binarium est sesquialtera proportio, ita inter ternarios infinitos et binarios infinitos est sesquialtera proportio, et infinito potest fieri additio. Et haec opinione est Linconiensis *Super librum Physicorum*.

Ad tertium, de infinitate animarum in actu: ista ratio non concluderet Pythagoricis, qui posuerunt reditionem animarum ad corpora. Et ponunt quod anima transit de corpore hominis in corpus bestiae et econtrario, sicut recitat Ovidius, *Metamorphoses* 15, et dicit sic: „morte carent animae semperque priore relictæ. Sede novis domibus vivunt habitantque receptæ”. Quicquid sit de eis, tamen immortalitatem animae humanae sola fides determinat cum multitudine animarum secundum multitudinem corporum. Aliter potest dici quod conclusio de infinito in actu potest concedi. Concedendo nunc et negando esse in actu idem quod esse rem veram in hoc mundo, quia in quolibet continuo sunt infinita in actu distincta situ ab invicem, quia volo quod 'a' significet primam partem proportionalem alicuius continui, et 3 et 5 et 7 et sic in infinitum secundum numeros impares, et 'b' sit nomen secundae partis continue proportionalis eiusdem continui 2, 4, 6, 8 et sic in infinitum secundum progressionem numeri paris, tunc manifestum est quod infinita 'a' sunt in isto continuo, et similiter infinita 'b'. Et quaecumque 'a' distant ab invicem loco et situ, et inter quaecumque 'a' sunt aliqua 'b' media, et inter quaecumque 'b' infinita 'a'. Ista tamen omnia constituunt unum continuum. Et ideo, apud Aristotelem, 3 *Physicorum*, vocatur haec multitudo in potentia, quia omnis res quae est pars alterius dicitur apud eum esse in potentia, et sic sol est ens in potentia, quia pars sui orbis secundum eum. Et corpus hominis est quoddam ens in potentia, quia est pars hominis. Sed credo quod apud Aristotelem non posset esse multitudo actu

infinita. Et ideo, secundum eum, non forent animae infinitae, quamcumque viam teneret. Ad hoc vitandum ex libris suis non claret, nec reditus aliquarum animarum ad corpora aliquammodo videtur probabilis.

Ad quartum cum dicitur: 'ergo quilibet homo fuit posterior sole', concedo et nego consequentiam; ultra: ergo tota multitudo hominum fuit posterior sole; et iterum: ergo homines fuerunt posteriores sole.

Ad quintum, cum dicitur: 'tunc pars non esset minor suo toto', concedo quod est dare partem aequalem toti composito, sicut corpus hominis est aequale toti composito. Similiter, si materia et forma sunt duae res extensae in igne, utraque pars est aequalis toti composito simul sive in quantitate continua, sive discreta. Imaginemur quantitatem finitam ex una parte, et infinitam ex alia. Concedo quod pars non est minor toto ex parte illa qua totum est infinitum. Verbi gratia, si imaginamur unam lineam ab hoc loco protractam in infinitum versus occidentem, quae sit 'a', et sit 'b' ista tota linea praeter unum pedem versus terminum huius lineae, id est versus orientem, tunc 'b' est pars 'a'. Manifestum est, et tamen 'b' est linea infinita, nec est simpliciter minor 'a'. Eodem modo de multitudine infinita a parte ante, et finita a parte post, potest fieri additio. Et istius multitudinis a parte ante sunt infinitae multitudines, quarum quaelibet est finita. Et tum sunt multitudines infinitae terminatae ad istum hominem qui modo nascitur. Et ideo concedo quod, subtractis decem residua multitudo est infinita, nec est minor multitudo quam composita ex decem et residuis, sicut si imaginamur unum compositum ex verbo Dei et humanitate sibi unita, dico quod illa perfectio composita, si foret, non foret maior altero composito, quia illud est quo maius cogitari non potest. Et sic concedo quod non omnis pars est minor suo toto. Et licet omne totum est maius sua parte, non tamen omne totum est maius qualibet sua parte.

Ad sextum cum dicitur: 'si essent animae infinitae, Deus non posset creare plures animas quam creavit', concedo consequentiam, et concedo de virtute vocis quod Deus non posset creare plures res quam creavit. Potest tamen creare alias animas. Dato quod essent infinitae, non essent plures res quam est unum continuum, si tamen continuum sit infinitae partes proportionales.

Sextus articulus est an Deus posset facere mundum meliorem quam fecit. In isto articulo oportet dicere conformiter secundum fidem, ad minus enim suppono Deum esse infinitae virtutis intensivae, et eum libere producere mundum, et mundum esse finitae bonitatis et perfectionis. Quibus suppositis, dico tria. Primum, quod Deus potest facere mundum alium ab isto, perfectiorem isto, et eiusdem speciei cum eo, solum numero differentem ab isto. Secundo, quod potest facere alium perfectiorem alterius speciei. Tertio, quod non potest facere optimum quod potest facere, et ideo non potest facere mundum ita bonum sicut potest facere, ideo solus Deus est qui non potest facere optimum quod potest.

Prima conclusionem probo sic: accipiendo istam conclusionem, suppositionem de Dei potentia, quae est quod Deus potest facere quicquid fieri, non includit contradictionem. Ex quo arguitur sic: Deus potest facere quicquid non includit contradictionem, sed unum alium mundum fieri ab isto differentem solo numero non includit contradictionem; ergo etc. Minor probatur, quia nulla contradictio est: duo soles sunt, duae lunae sunt, duo mundi sunt. Posset ergo Deus creare alia corpora coelestia eiusdem speciei cum istius et, per consequens, solo numero different.

Secundo, ex eodem sequitur quod Deus potest facere mundum in infinitum meliorem isto, et tamen, qui factus est, sit finitae perfectionis et eiusdem speciei cum eo. Istud patet sic: Deus potest facere sphaeras coelestes quae essent maiores quam sint iste, et stellas omnes maioris quantitatis et elementa proportionabiliter, et tunc diameter illius mundi esset maior quam istius mundi. Sed non est dare maximam quantitatem quam non possit maiorem facere, ergo in infinitum potest augere mundum. Et tamen [299a] quilibet foret finitae perfectionis et eiusdem speciei cum alio. Quod autem maioritas extensionis non faceret differentiam specificam, patet maxime in totis homogeniis, quia, si diameter solis esset in duplo longior quam sol est, non differt speciei ab isto, sic nec sphaera ignis differet speciei ab isto igne pedalis quantitatis. Sic ergo Deus potest facere mundum meliorem, et meliorem in infinitum, servata tamen proportionem consimiliter per augmentationem partium consimilium et aequalium ispius mundi. Et eodem modo peiorem in infinitum per diminutionem partium quas nunc habet.

Secundo, dico quod Deus potest facere mundum alium differentem ab isto specie, meliorem isto, tamen non potest facere mundum differentem ab isto specie, peiorem isto. Primum patet, quia supra quamcumque speciem datam potest creare speciem perfectiorem; ergo potest creare corpus solis alterius speciei a sole, quod perfectiores operationes facere secundum speciem quam sol facit, sicut homo perfectius imaginatur quam hos. Et tunc mundus compositus ex similibus partibus istius mundi, et una tali specie, vel duabus, vel tribus, foret perfectior isto et alterius speciei ab isto mundo. Assumptum patet, quia talia fieri non implicat contradictionem. Quod autem non potest fieri peior isto differens specie, patet quia sic etiam oporteret imaginari quod sibi deeset aliqua species quam iste mundus habet et, si hoc, tunc non foret mundus.

Tertio, dico quod Deus non posset facere optimum quod potest facere, quia quocumque bono dato, Deus potest facere melius, nec potest facere quantumcumque potest facere, nec potest facere ita cito sicut potest facere. Sed contra ista sunt quaedam dubia propter rationes Aristotelis 1 *Coeli*, quibus probat unitatem mundi. Prima est talis: mundus constat ex materia sua tota, ergo non est plurificabilis; ergo non possunt esse multi et, per consequens, nec infiniti. Secundo, quia non esset maior ratio quare grave moveretur ad medium istius mundi quam ad medium alterius. Tertio sic: omne quod naturaliter recedit ab uno loco, violenter accedit ad eundem; sed grave in alio mundo positum naturaliter recedit a medio istius mundi, ergo violenter accedit ad medium alterius mundi, et, per consequens, recedet a medio istius mundi. Ergo ubicumque ponitur, violenter accedet ad medium istius mundi. Ergo, licet poneretur infra circumferentiam istius mundi, violenter accederet ad medium istius mundi, et non naturaliter. Consequens falsum, ergo etc.

Secundum dubium est contra suppositionem illam conclusionem: Deus non potest facere quicquid includit contradictionem. Dicitur primo sic: Deus potest facere impossibilia fieri, ergo etc. Antecedens probatur per Anselmum, 2 *Cur Deus* [299b] *homo*, capitulo 17: „omnis necessitas et impossibilitas Dei subiacet voluntati. Illius autem voluntas nulli subditur necessitati aut impossibilitati. Nihil enim est necessarium aut impossibile, nisi quia ipse vult. Ipsum autem velle aut nolle aliquid propter necessitatem aut impossibilitatem alienum est a veritate”. Ergo, si Deus posset velle hominem esse asinum, hoc utique esset possibile; sed Deus non necessario non vult hominem esse asinum, quia eius voluntas nulli necessitati subditur, ergo possibile est quod homo

sit asinus; ergo hoc Deus potest facere. Sed tenetur quod hoc impossibile sit fieri, ergo Deus potest facere quod impossibile est fieri.

Praeterea, ego possem hoc facere quod fieri includit contradictionem, ergo Deus. Antecedens probatur, quia possem facere unam copulativam compositam ex duabus contradictoriis, sed hoc fieri includit contradictionem, quia non potest fieri nisi fiat contradictio.

Tertium dubium est si Deus faceret hominem qui peccare non vellet nec posset, sicut possibile foret secundum Magistrum in 1 *Sententiarum*, distinctione 44, et est verbum Augustini, 2 *Super Genesim*, capitulo 4: „talem Deus potuit hominem fecisse, qui nec peccare posset, nec vellet. Et si talem fecisset, quis dubitaret eum meliorem esse?”. Est ergo dubium an talis esset eiusdem speciei cum aliis hominibus. Et videtur quod non, quia, quando aliquid convenit alicui individuo, et nulli alteri individuo eiusdem rationis videtur repugnare. Unde, licet humana natura in Christo non potuit peccare stante illa unione, tamen, si foret deposita, peccare potuisset; ergo sibi non repugnabat peccare potuisse; ergo homo talis factus non foret eiusdem speciei cum aliis hominibus.

Quartum dubium: an aliqua creatura excedat aliam in perfectione infinite. Videtur quod sic, quia, dato quod non, ergo Gabriel non excedit perfectionem unius muscae in infinitum. Et constat quod excedit: ergo in aliqua proportionem finita. Sit ergo quod in centuplo. Pono ergo quod Deus faciat centum muscas aequalis perfectionis cum musca data; ergo tanta est perfectio in ista multitudine sicut in Gabriele. Et sic tanta bonitas esset in ista multitudine sicut in angelo et, per consequens, ita mala esset destructio eius sicut destructio angeli, quod videtur valde inconueniens.

Praeterea, si Gabriel non excederet ignem pedalis quantitatis nisi proportionem finita, quae sit 'a', detur illa proportio. Cum ergo Deus possit facere ignem duplum ad 'a', et triplum et quadruplum, et sic in infinitum, sequitur quod possit tantum ignem creare quod esset aequalis perfectionis cum perfectione Gabrielis [300a].

Ad primum dubium dico quod rationes Aristotelis possunt solvi supposita veritate fidei.

Ad primum, cum dicitur: 'coelum constat ex materia sua tota, ergo non est plurificabile', consequentia est neganda, quia plurificari potest per agens, quod nullam materiam praesupponit suae actioni, sed totum creat. Unde, licet conceditur quod nulla materia sit modo in potentia ad formam solis, non ideo sequitur quin alius sol possit fieri, sed tamen sequitur quod nullum agens creatum praesupponens materiam suae actioni potest producere formam solis.

Ad secundum dico quod grave existens in uno mundo moveretur naturaliter ad centrum illius mundi in quo esset, et aliud grave in alio mundo ad suum centrum.

Ad tertium, quando dicitur: 'omne quod naturaliter recedit etc.', nego istam propositionem, tam de gravibus, quam de levibus. De gravibus, quia naturaliter omne grave descendit ad medium mundi, et aliquod grave naturaliter recedit a medio mundi; ergo aliquod grave naturaliter natum est recedere ab eodem loco secundum naturam ad quem similiter natum est accedere. Quod autem, casu posito, aliquid grave recedit a medio mundi, patet, quia ferrum positum in medio mundi accederet naturaliter ad adamantem suprapositum. Similiter ne relinqueretur vacuum, idem contingeret. De levibus facilius est videre hoc idem, quia imaginemur unam lineam transeuntem per centrum terrae usque ad coelum, in quo sit diameter sphaerae corporaliū, cuius termini in

coelo sint 'a' et 'b'; tunc manifestum est quod ignis existens in superficie terrae directe sub 'a' naturaliter ascendet ad 'a'; ergo naturaliter recederet ab illo sursum. Et tamen, si idem supponeretur in alia parte directe sub 'b', naturaliter accederet ad 'b' et recederet ab 'a'. Ergo idem leve in diversis sitibus positum natum est similiter recedere et accedere ad eundem locum. Eodem modo dico de gravi posito primo in uno mundo, post in alio.

Ad secundum dubium dico quod haec suppositio: 'Deus potest facere quicquid non includit contradictionem' est vera, si bene intelligatur. Intelligitur enim sic: 'Deus non potest facere' – quo facto et existentibus omnibus propositionibus quae possunt esse, sequuntur aliqua contradictoria esse simul vera; et: 'omne illud potest facere' – quo posito in esse, non sequuntur aliqua contradictoria esse simul vera. Ad illud Anselmi dico quod non debet intelligi secundum verba, sed sicut ipsemet declarat in medio capituli, dicens quod duplex est necessitas, scilicet necessitas coactionis et necessitas prohibitionis. Similiter impossibilitas sonat in defectum potentiae. Manifestum est autem quod voluntatem Dei nulla potest coactio cogere, nec aliqua impossibilitas cohibere, nec in eo est defectus potentiae quin possit quicquid est possibile. [300b] Et ideo dicit Anselmus ad talem intellectum quod omnis necessitas et impossibilitas eius subiacent voluntati, hoc est nihil potest eius voluntatem cogere, vel prohibere, vel aliquo modo impedire, nec plus intendit. Unde ad formam argumenti dico quod Deus non potest velle hominem esse asinum, sic quod humana natura sit natura asini. Et concedo quod non vult libere hominem non esse asinum, sed necessario. Et concedo quod nihil vult necessario nisi se. Unde nullam rem vult esse necessario nisi se; vult tamen multa sic esse necessario, sicut per quaedam complexa necessaria denotantur, ut Deum non esse creaturam, hominem non esse asinum.

Ad aliud concedo quod homo potest facere illud quod fieri includit contradictionem, sicut concludit argumentum, quia homo non potest facere copulativam compositam ex contradictoriis; quin faciat illud quod fieri includit contradictionem, non tamen potest homo aliquid facere. Quo facto, contradictoria sint simul vera.

Ad tertium dubium respondet Ockam 1 *Sententiarum*, distinctione 44, quod homo talis non foret eiusdem speciei nobiscum. Unde dicit quod iste terminus 'homo' potest dupliciter accipi. Uno modo, pro omni composito ex corpore et natura intelligibili, et sic homo non est species specialissima. Secundo, accipitur pro composito ex corpore et tali anima intellectiva qualem nos habemus. Et homo sic sumptus est species specialissima. Nec ille qui foret impeccabilis per naturam esset eiusdem speciei specialissimae cum illo qui potest peccare per naturam. Quod probat per rationem quam posui in isto dubio superius, quia, si aliquid convenit uni individuo alicuius speciei, non repugnat alteri individuo eiusdem speciei consimile habere etc.

Contra: hoc non est ad mentem Magistri et Augustini, quorum uterque dicit de homine iam facto, quod Deus poterat eum talem fecisse, qui non vellet peccare nec posset, ut dicit Magister. Sed Deus non posset facere hominem iam factum alterius speciei quam est, ergo non est ad propositum dicere Deum posse facere hominem alterius speciei, qui non possit peccare.

Secundo, quia non sequitur: 'ille homo non potest peccare, ergo est alterius speciei', et hoc loquendo de potentia propinqua ad peccandum, sicut non sequitur: 'hoc grave impeditum non potest descendere, ergo est alterius speciei ab alio gravi quod iam descendit'. Similiter Christus

non potest peccare, et tamen est eiusdem speciei cum quolibet peccatore. Similiter, dato quod Deus nullum praeceptum daret homini, non posset peccare potentia propinqua. Similiter, dato quod Deus constitueret quod non coageret homini ad actum malum, et impediret ne aliquid omitteret, talis non posset peccare potentia propinqua, nisi sicut frigidum potest calefacere, et obscurum illuminare, quia [301a] frigidum potest fieri calidum et obscurum illuminosum. Et secundum illum modum loquendi possum dicere quod ille caecus potest videre, et sutor potest consecrare episcopos.

Tertio, videtur inconvenienter dictum quod ideo Deus posset facere hominem impeccabilem, quia potest facere unam creaturam alterius speciei ab homine, quae peccare non potest, quia sequitur: 'a' non est animal rationale mortale, ergo 'a' non est homo'. Sit animal rationale mortale diffinitio convertibilis cum isto termino 'homo'; ergo non sequitur quod fecisset hominem impeccabilem, sed unam creaturam quae fuisset vocata 'homo'.

Confirmatur, quia hoc nomen 'homo' est nomen speciei specialissimae, et non genus. Nec potest esse nomen generis nisi per novam impositionem.

Quarto, aut illa creatura foret libera, aut non. Si non libera, ergo non foret homo rationalis. Si libera, ergo facto sibi praecepto posset libere oboedire vel transgredi. Confirmatur per illud Hieronimus in quadam homilia de filio prodigo. Et ponitur libro 2, distinctione 25: „solus Deus est in quem peccatum non cadit, nec cadere potest; ceteri, cum sint liberi arbitrii, in utramque partem flecti possunt”.

Quinto sic: aut talis posset mereri, aut non. Si non, ergo necessario damnaretur, et tamen sine peccato, quod est inconveniens. Si sic, aut per naturam, aut per gratiam. Si per naturam, sequitur error Pelagii. Si per gratiam, contra: gratia non est sibi necessaria, quia non est magis peccabilis quam lapis; ergo sine gratia posset vitare peccatum; immo non proprie vitare, quia vitare est non facere, vel non habere quod homo potest facere, vel habere. Et ita nihil dicitur vitare nisi illud quod facere potest. Et ideo non est secundum mentem Augustini, nec concludit sua ratio, quia non vult dicere Augustinus quod Deus posset facere hominem qui foret impeccabilis per naturam, sed posset fecisse sic hominem, quod eum donis gratuitis et virtutibus sic dotasset, quod sibi ad bene agendum solummodo, et non ad peccandum, coegisset, quod nunquam posset peccare potentia propinqua, sicut dicimus quod grave non potest descendere quando impeditur. Unde verba Magistri superius allegata sunt verba Augustini, 2 *Super Genesim*, capitulo 4. Nec Magister videtur ibi habere intellectum Augustini, ut patet ibidem. Nec plus habetur nisi quod Augustinus in principio capituli dicit: „talem”, inquit, „facere hominem potuit, qui nollet omnino peccare. Ecce nos concedimus meliorem esse naturam quae omnino peccare noluit”. Loquitur enim Augustinus contra increpantes Deum eo quod hominem permittat tentari et peccare et quod debuit hominem fecisse talem qui nollet omnino peccare. Ad hos respondet Augustinus quod melior est natura quae omnino peccare non vult, quam illa quae peccare vult. Utrum autem posset facere hominem qui [301b] omnino peccare non posset, non quaerit Augustinus ibidem de hoc, nec determinat salva reverentia Magistri. Unde nec Ockam habet intentionem Magistri, nec Magister intentionem Augustini. Nec tamen Magister intendit quod Deus posset fecisse hominem impeccabilem per naturam, sed per dona, sicut de natura humana in Christo patet et de beatis fiet.

Ad argumenta istius opinionis: 'illud quod convenit individuo etc.', haec potest negari. Nam isti calori repugnat compati secum frigus, demonstrato calore in summo, et hoc convenit tamen calori remisso. Similiter isti calori magno convenit agere ad unum miliare, demonstrato uno magno igne, et tamen hoc repugnat multis parvis caloribus. Similiter lignum pedale et bipedale sunt eiusdem speciei, et tamen ligno bipedali convenit componi ex duabus quantitatibus pedalibus, sed hoc pedali repugnat.

Ad quartum dubium dicetur alias.

Iam restat videre de septimo articulo an in propositionibus de futuro in materia contingenti sit determinata veritas in uno contradictoriorum, et falsitas in reliquo. Et videtur sententia Aristotelis quod non, sicut arguebatur. Unde videtur quod neutra pars in materia contingenti est vera, vel falsa. Opinio autem theologorum huic est contraria. Credimus enim Deum scire resurrectionem esse futuram, et omnium contradictoriorum determinate alteram partem, alias prophetia esset impossibilis, nec ei oporteret credere. Similiter, vel est ita a parte rei sicut per illam denotatur: 'a' erit', sit 'a' unum futurum contingens, vel non est ita a parte rei. Si non, propositio est falsa per diffinitionem, quia significat aliter esse quam est. Si sic, ergo propositio est vera.

Dico ergo, sicut dicitur communiter, quod propositio de futuro necessario est vera, sic tamen quod nunquam potest fuisse vera, et ideo aliter est vera quam illa quae est de praeterito simpliciter, vel de praesenti. Est tamen sic vera, quod nullo modo ad sui veritatem requirit aliquam de futuro esse veram, quia, si aliqua talis sit vera, necessarium erit postea quod illa fuerit vera. In propositionibus autem de futuro in materia contingenti sic est quod utrumque contradictoriorum potest esse verum et tamen nec simul, nec successive.

Praeterea, aliqua propositio est vera et potest esse falsa, et tamen non potest desinere esse vera, nec incipere esse falsa. Item, aliqua propositio est vera et potest esse falsa, et tamen non potest mutari a veritate in falsitatem. Item, aliqua propositio fuit vera ab aeterno, et est vera nunc, et tamen potest fuisse falsa ab aeterno. Tamen, si fiat falsa, non aliter se habebit quam se habuerit ab aeterno, quia, si nunc sit falsa, [302a] ab aeterno fuit falsa. Item, Sortes potest facere aliquam propositionem fuisse veram ab aeterno, quae nunquam fuit scita a Deo, et tamen Deus non potest incipere scire eam. Istaе propositiones patent in talibus: 'Sortes erit beatus', 'Sortes non erit beatus', quia ista quae est vera de istis semper erit vera, et tamen potest nunquam fuisse vera, non tamen incipere esse vera. Sed, in quibusdam propositionibus contingentibus, illa quae est vera potest desinere esse vera, et incipere esse falsa, si continue maneat. Sicut patet de istis: 'anima Antichristi creabitur', 'dies iudicii erit', 'Sortes nascetur in a'. Nam in primo instanti esse ipsius Antichristi haec incipit esse falsa, si continue maneat: 'anima Antichristi creabitur'. Et haec similiter: 'dies iudicii erit', erit falsa post diem iudicii. Et erit falsa postquam fuit vera. Et sic de similibus quae non semper erunt verae de futuro, sed usque ad certum tempus. Aliae vero propositiones quae sunt in praescientia Dei respectu beatitudinis quae erit aeterna, vel damnationis aeternae, sic sunt verae, quod ab aeterno fuerunt verae, sicut tales: 'anima Christi erit beata', 'anima Iudae erit damnata', stante significatione quam modo propositiones habent. Et de talibus verum est quod sunt verae, et posunt esse falsae, sed non possunt desinere esse verae, nec incipere esse falsae. Similiter aliquae propositiones sunt de futuro, quae sunt verae et non falsae, et non

erunt verae nisi ad certum tempus, sicut 'Sortes peccabit cras', 'dies iudicii erit', et huiusmodi possunt ante tempus illud nunquam fuisse verae, non tamen possunt ante illud tempus esse verae, vel falsae successive, vel mutari de veritate in falsitatem. Sic ergo patet ad istum articulum quod propositio de futuro ideo est vera, quia sic erit sicut per eam denotatur; potest tamen aliter esse, et ideo non est necesse, si fuerit vera, quod semper erit postea verum dicere quod fuit vera, et in hoc differt a propositionibus de praeterito et praesenti.

Octavus articulus: an Deus possit revelare futura contingentia. Hic dico quod iste articulus praesupponit Deum scire futura contingentia, quod concedo sicut oportet, ut patet 1 *Sententiarum* distinctione 38 et 39 per totum. Sed dubium est an Deus possit scire plura quam scit, an non. De hoc scire dixi alias contra Ockam – quaere quintum articulum de scientia Dei quam habet Deus de futuris contingentibus, an possit futura contingentia revelare creaturae rationali. Et dato quod sic, an talia revelata sint contingentia post revelationem. Ubi sunt quatuor videnda. Primo, praemittam quasdam auctoritates sanctorum. Secundo, quasdam diffinitiones et terminorum expositiones. Tertio, quasdam suppositiones. Quarto, ad quasdam rationes factas in argumento principali illius opinionem respon[302b]debo.

Quantum ad primum, sciendum quod cum timore et reverentia etiam oportet exprimere illa quae vera sunt, quando loquimur de Deo. Unde Augustinus, 10 *De civitate Dei*, capitulo 23: „liberis verbis loquuntur philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum curium⁵ pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem”. Haec ille. Et ideo quae in ista materia dico, sine pertinacia, investigationis gratia dico. Et licet nullam rationem haberem ad concordandum cum rerum contingentia divinam praescientiam et revelationes, non minus ideo crederem quin verae simul stent, Deus tales revelationes posse revelare, et eas post revelationem esse contingentes. Et argumenta optima quae ponunt in contrarium reputarem sophistica, licet nullus foret qui ea sciret solvere. Unde Anselmus, *De concordia*, capitulo 18, dicit quod, quando „rationem habemus cui Scriptura repugnat, quamvis nobis ista ratio videatur inexpugnabilis, nulla tamen veritate fulciri credenda est”. Et Augustinus, 5 *De civitate Dei*, capitulo 10, disputans contra opinionem Ciceronis, qui negavit praescientiam Dei, dicit: „nullo modo cogimur aut retenta praescientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum, quod nefas est, negare praescium futurorum; sed utrumque complectimur utrumque fideliter et veraciter confitemur. Illud ut bene credamus; hoc ut bene vivamus. Male autem vivitur, si non de Deo bene creditur. Unde absit a nobis negare eius praescientiam, ut liberi esse velimus, quo adiuvante liberi erimus”. Item, Augustinus ad Volusianum: „dicamus Deum aliquid posse quod nos fateamur investigare non posse”. Et Anselmus de quaestione illa dicit quod multa debemus fateri Deum posse, quae nos non valeamus obtinere. Et 4 *Cur Deus homo?*, capitulo 27: „Deus facere potest quod hominis ratio comprehendere non potest”.

Restat ponere distinctiones et expositiones terminorum, quarum prima est quod iste terminus 'scire' tripliciter accipitur. Primo modo largissime, et sic convertitur cum 'cognoscere'. Et est verorum et falsorum, complexorum et incomplexorum. Secundo modo magis stricte pro

⁵ curium] aurium

notitia evidente assensiva alicui vero, qua homo assentit quod ita est in re sicut per illud verum denotatur sine formidine; et sic possum scire istam: 'paries est albus', vel istam: 'sol orietur cras'. Tertio, strictissime pro notitia evidente assensiva alicui primo, qua homo assentit quod ita est in re sicut per illud verum denotatur, et quod non potest se aliter habere. Et sic loquitur Aristotelis de scire *Primo posteriorum*, capitulo 2 in princeps, dicens: „scire est rem per causam cognoscere”. Et in fine subdit: „et quoniam impossibi[303a]le est aliter se habere”. Sicut loquitur Anselmus, *De casu diaboli*, capitulo 21, ubi inquit: „de illa scientia quaeritur, quae non est nisi cum certa ratione intelligitur, omnino respondeo non posse sciri quod potest non esse. Quod enim non esse potest, nequaquam esse certa ratione colligi potest”. Haec ille. Et loquitur inquirendo an diabolus praescivit se casurum. Primo modo, Deus scit omnia apprehensibilia a creatura, vera et falsa, possibilia et impossibilia, complexa et incomplexa. Secundo modo, Deus scit futura contingentia. Tertio modo, non, quia tales propositiones sic sunt verae, quod possunt nunquam fuisse verae, sicut dictum est in articulo 7. Secundo modo accipiendo 'scire', eadem notitia potest successive esse scientia et opinio falsa sive error per mutationem rerum, ut si viderem Sortem currere, tunc assensus quo credo Sortem currere vocatur scientia, isto modo communiter loquendo de scientia. Si autem Deus manuteneat assensum in mente mea, et species in sensu sicut prius, et adnihilet Sortem, idem assensus erit error et falsa opinio, quia scientia non dicitur de assensu sicut nomen absolutum, sed simul cum hoc quod supponit pro assensu connotat sic esse in re sicut per assensum denotatur. Ideo haec est concedenda per scientiam: 'potest homo errare et opinari falsum', similiter ista: 'per certitudinem potest homo decipi'; sed non, si convertatur ponendo circumspectionem, vel sapientiam a parte praedicati. Ideo tales sunt negandae: 'homo potest errare per scientiam', 'homo potest decipi per certitudinem'. Denotatur enim quod haec sit possibilis: 'homo decipitur per certitudinem'.

Secundo, quia in ista materia communiter utimur hoc termino 'certificare', dicendo talem propositionem: 'Deus potest certificare beatum quod semper erit beatus', 'Sortes potest certificari quod erit salvatus'. Ideo dicendum est de termino 'certus' quod aliquem esse certum potest esse dupliciter. Vel quia credit quod ita est sicut denotatur per propositionem cui assentit, et sic est in rei veritate. Vel quia est sicut denotatur per propositionem cui assentit, et quod non potest aliter esse. Primo modo Deus certificat beatum quod semper beatus erit. Credit enim natura beata quod semper erit beata et ideo satis certa est, tamen sic est certa, quod potest nunquam fuisse certa. Et notitia quae est certitudo, vel securitas beati, potest fieri deceptio et error de potentia Dei absoluta, tamen in rei veritate certa est. Secundo modo non est certa, nec Deus eam certificare sic potest, quia includeret contradictionem, vel argueret Deum non esse omnipotentem, quia non posset creaturam certificatam adnihilare, cuius oppositum dicit Anselmus, *De libertate arbitrii*, capitulo 8: „Totam quippe substantiam etc.”.

Tertia distinctio est de isto termino 'revelare', quia isto pos[303b]sumus uti dupliciter. Primo modo pro causatione novi assensus in intellectu alterius creaturae alicui complexo vero, ita quod haec sit diffinitio exprimens quid importatur per hoc nomen 'revelatio', ut non sit aliud quam causare novum assensum in intellectu alterius alicui vero complexo, quia sibi ipsi nemo dicitur proprie revelare. Et hoc potest esse dupliciter: vel quod assentiat cum formidine, et tunc est opinio;

vel sine formidine, et tunc vocatur revelatio scita. Secundo modo accipitur 'revelare' pro causare assensum alicui complexo in intellectu alterius de novo, ut ista: 'Deus revelavit Sorti quod dies iudicii erit'. Exponitur enim per istam: 'Deus creavit de novo in mente Sortis assensum quo credit diem iudicii fore'. Primo modo accipiendo hoc nomen 'revelare', haec est contingens: 'Deus revelavit Sorti diem iudicii fore', et postquam hoc revelavit Sorti, haec est contingens: 'iste assensus fuit revelatio', demonstrato assensu qui in rei veritate fuit revelatio, quia sic iste terminus 'revelatio' est unus terminus conotativus, supponens pro illa qualitate quae est assensus, et importans quod complexum cui assentitur sit verum. Unde ista propositio: 'Deus revelavit Sorti quod dies iudicii erit', debet exponi per illas in isto sensu: 'Deus aliquo modo creavit in Sorte assensum istius articuli de novo et ita erit', alioquin non creasset assensum complexo vero. Si autem iste terminus 'revelatio' exponatur secundo modo, pro eo quod est simpliciter causare assensum alicui complexo, sic est necessaria haec: 'Deus revelavit Sorti quod dies iudicii erit'. Et non dependet ab aliquo futuro, quia sic potest Deus revelare falsum, si velit decipere et fallere creaturam. Et nullum inconveniens sequitur ex hoc, quia nullum inconveniens est quod ille, qui est veritas, causet in aliquo falsitatem.

Tertio, restat exponere aliquas propositiones quibus utimur in ista materia. Dicimus enim quod Christus asseruit, Deus promisit, Christus iuravit. Asserere est vocaliter proferre aliquam propositionem vocalem, et velle quod audiens credat eam esse veram. Unde iste qui asserit vocaliter 'Deum esse' profert hanc: 'Deus est', et vult quod illa propositio ab eo prolata certificet eum qui audit, quod Deus est. Et per hoc debet asserere et iurare et proferre consimilem vocem materialiter vel recitative. Nec requiritur quod ipse credat dictum suum esse verum, quia multi asserunt falsum quod sciunt esse falsum, et ideo mentiuntur. Ego autem contradictionem non video sequi, si conceditur Deum asserere falsum scienter, sed Deum mentiri, vel periurare, vel Deum esse falsum, eo modo quo mendax dicitur esse falsus, non conceditur, quia, secundum Augustinum, libro *De mendacio*: „mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi”. Et [304a] hoc debet sic exponi: 'cum intentione deordinata fallendi'. Deus autem non potest habere intentionem deordinatam in aliquo facto suo, et ideo Deus non potest mentiri, neque peccare. Nulli tamen dubium quin Deus possit asserere falsum scienter et cum intentione fallendi creaturam, quia non includit contradictionem in Deo. Immo imperfectus esset si non posset intelligere, quia aliqua creatura potest mereri ut decipiatur a Deo. Et credo quod demones meruerunt decipi, et iuste, a Deo, ita quod Deus multa facit intentione fallendi eos, et fecit intentione fallendi. Nec video causam quare Deus non potest velle creaturam decipere per seipsum immediate. Unde dicit Augustinus, libro *83 quaestionum*, quaestione 2, quod Deus decipit per malos angelos et per malos homines et quod Deus iussit filiis Israel decipere Aegyptios, ubi alludit Augustinus historiae de rege Achab, *3 Regum*, capitulo 22: *et de spiritu qui dicit: egrediar et ero spiritus mendax*. Et sequitur: *decipies et prevalebis, egredere*, ubi manifestum est, secundum Augustinum, quod Deus dixit malo angelo ut deciperet regem. Similiter Christus voluit nasci de virgine ut deciperet diabolum, eius nativitatem secundum sanctos occultans. Similiter Rebecca et Iacob de singulari consilio Spiritu Sancti deceperunt Isaac, *Genesis* 27. Similiter Iudith Holofernem. Unde videtur quod Deus possit decipere etiam per bonos, ut satis verisimile est quod frequenter decipit diabolum

et malos homines. Similiter Deus praecepit Iosuae quod poneret insidias urbi Hay quando debuit eam capere. Similiter dixit Iosuae quod deciperet eos. Similiter nullum inconueniens videtur sequi, si dicatur Deum dicere falsum, vel promittere se facturum et non facere, sicut homo potest.

Quinto, dico quod Deus est vera notitia simpliciter et accidentalis cuiuslibet veri, sive sit exponibilis per propositionem de futuro, de praeterito, vel de praesenti; sic tamen scit futura, quod potest nunquam scivisse ea. Et potest esse notitia equivalens duobus contradictoriis aliquando successive per mutationem rei, aut sine mutatione rei, sive in contradictoriis de futuro, ut patet in septimo articulo.

Sexto, dico quod omnis notitia creata est limitata ad significandum sic esse sicut per eam denotatur, et ideo omnis notitia creata potest esse error, si sit de obiecto mutabili. Et ideo, cum in anima beati et in anima Christi sint multe notitiae creatae, quae sunt veridicae notitiae modo de creaturis, ut quod sol movetur in coelo et quod luna eclipsabitur in tali tempore, dico quod ille possunt, si Deus voluerit, fieri errores et falsae opiniones. Et sic haec esset vera: 'beatus decipitur', et haec similiter: 'Deus decipit'. Per communicationem idiomatum ista potest concedi, quia [304b] non includit contradictionem sic fieri. Ideo concedendum est quod Deus potest sic facere, et ideo solus Deus est in quem error vel deceptio cadere non potest. Et omnis creatura, quantumcumque beata, vel nobilis, eius notitia potest decipi, nec foret minus beata si deciperetur circa creaturas. Nam certitudo notitiae creaturarum nihil facit ad beatitudinem essentialem, vel saltem cum ignorantia talium posset esse beata.

In nono articulo, primo supponendae sunt aliquae regulae logicae propter quasdam formas, quae regulae in arte obligatoria diffusius pertractantur. Et est primo sciendum quod, quando opponens ponit casum et quando respondens admittit, respondens est obligatus ad respondendum secundum casum. Et quandocumque dicitur ab opponente, ponatur quod ita sit, vel aliquid equivalens, sit respondenti una positio quae est species obligationis, si admittat.

Secundo, suppono quod omne sequens ex posito formaliter concesso est concedendum, et quod omne repugnans est negandum tamquam impertinens. Respondendum est secundum quod constat respondenti de sua qualitate.

Tertio, suppono ex eadem arte quod omnis positio equivaleret uni depositioni, quia illa equivalent respondenti. Quia, si ponitur quod tu es Romae, tunc deponitur ista: 'tu non es Romae', quia tota responsio sua in propositionibus concedendis et negandis et dubitandis uniformiter se habebit, facta sibi ista positione: 'tu es Romae', et facta depositione istius: 'tu non es Romae'. Et ideo qui posuit unum contradictorium deposuit reliquum, et econtrario.

Quarto, suppono hanc regulam: posito falso contingenti, non est inconueniens concedere impossibile per accidens eadem arte. Non plus de istis.

Ad formas argumentorum principalium in 7 et 8 principali dicendum est. Ad primum enim dicitur: sit ita quod Deus scivit istam: 'a' erit' et quod ista fuit heri scripta in pariete, et nihil aliud; tunc est modo necessarium: 'scriptum in pariete fuit verum'; et licet sit vera, tamen potuit nunquam fuisse vera, ut dictum est in argumento, quia eius veritas requirit veritatem unius de futuro, quae potest esse nunc vera, sicut patet. Et ista responsio fuit data in faciendo argumentum et ad reductionem argumenti, quando arguitur contra responsionem istam: 'sit a unum futurum

contingens quod Deus scit fore; tunc istae sunt simul verae: 'a' erit' et 'a' potest non evenire'. Concedo quod 'a' erit, et tamen potest non evenire. Et bene stant simul. Et cum dicitur: 'ponatur in esse: 'a' potest non evenire', dico quod hic sit nova species positionis, quia opposita eius prius fuit posita, quia, si ponatur ista: 'a' erit' et, per consequens, deponetur sua contradi[305a]ctoria: 'a' non erit', ut patet in secunda regula praecedentis articuli. Et per consequens haec est neganda: 'Deus scivit 'a' fore', quia haec est neganda, si ponatur: 'a' non erit', quia est oppositum positi. Et cum dicitur proponendo istam: 'oppositum istius fuit a te heri concessum nulla obligatione tibi facta heri', haec est impertinens et vera, et ideo concedenda. Et quando arguitur haec: 'a' erit' fuit heri concessa a te', et haec: 'heri continue fuit falsa', ergo falsum fuit heri concessum a te nulla obligatione tibi facta; et ultra: 'ergo male respondisti heri'. Quod potest concedi, quia est sequens ex posito et bene concesso, est tamen conclusio falsa et impossibilis per accidens, secundum quartam regulam praecedentis articuli, quae dicit quod, posito vero impossibili, non est inconueniens concedere impossibile per accidens. Unde, licet non sit ita quod male respondisti, posito tamen casu admissio, haec debet concedi: 'tu male respondisti'. Et per idem patet ad secundum contra responsionem ibi datam.

Ad tertium dico quod assumptum est falsum, quia esset dare duas propositiones quae posunt esse verae, et tamen nec simul verae nec successive. Et similiter est dare duas propositiones quae erunt verae successive, et tamen neutra pars est vera ante aliam, sed hoc non est ad propositum. Et sic aliquid potest esse verum, et tamen non est verum, et tamen potest fieri verum. Patet de ista: 'Sortes est praedestinatus', quia da quod possit fieri verum in hoc sensu, ergo haec est possibilis: 'hoc fuit verum'; et sequitur: 'fuit verum, ergo incepit esse verum', exponendo ly 'incepit' per positionem praesentis et negationem praeteriti, vel per negationem praesentis et positionem futuri. Consequens falsum, quia sit 'a' instans in quo incipit esse verum; tunc, ante 'a' haec fuit vera: 'b' non est verum', sit 'b' illa propositio; ergo haec fuit vera ab aeterno: 'Sortes non est praedestinatus', et erit praedestinatus in 'a' per te; ergo ab aeterno Deus scivit istam copulativam: 'Sortes non est praedestinatus in 'b' et 'erit praedestinatus' et, per consequens, non habebit vitam aeternam.

Ad quartum, cum dicitur contra hanc responsionem: 'sint 'a' et 'b' duo contradictoria de futuro, et sit 'a' verum in hoc instanti, et 'b' potest esse verum cras; ergo potest esse verum postquam 'a' fuit verum', nego consequentiam et concedo istam: 'postquam 'a' fuit verum, 'b' potest esse verum'. Et non denotatur per istam quod haec possit esse vera: 'b' est verum', sed denotatur quod 'a' est verum in hoc instanti et quod 'b' potest esse verum post hoc instans, et hoc est verum; tamen nego: 'b' potest esse verum postquam 'a' fuit verum'. Vel aliter potest dici distinguendo istam secundum compositionem et divisionem, concedendo secundum sensum divisum, et negando secundum sensum compositum.

Ad quintum dico similiter negando consequentiam, quia antecedens habet aliquam cau[305b]sam veritatis, et consequens nullam, quia significat quod 'a' non sit futurum, tamen potest semper fuisse.

Ad sextum, quando arguitur: 'si omnis propositio est contingens, ad cuius veritatem requiritur veritas unius de futuro', tunc tales forent contingentes: 'Sortes mevetur', 'Sortes est albus',

'homo ast animal rationale', quia quaelibet infert formaliter unum contingens. Quia sequitur apud Aristotelem: homo est animal, ergo homo erit animal, quia non est dare ultimum in quo est vera. Similiter 'Sortes est albus', quia vel albedo sua corrumpetur subito, vel successive. Si successive, ergo Sortes erit albus per tempus post hoc instans. Si subito, ergo in instanti. Capiatur illud instans, et sit 'a'. Tunc 'a' vel est immediatum huic instanti, vel non. Si non, patet reductio etc. Potest dici quod apud Aristotelem nulla fuisset talis dependens contingenter ad utrumlibet, demonstrata ista propositione: 'sol movetur', 'Sortes est albus', quia, secundum eum, quando haec est vera: 'sol movetur', haec non est contingens ad utrumlibet: 'sol movebitur'; nec, per consequens, haec: 'Sortes erit albus', quia quando haec est vera: 'Sortes est albus', haec erit vera: 'Sortes erit albus'. Et ideo, secundum eum, non omnis propositio de futuro est in materia contingenti. Nec sequitur: haec propositio, demonstrata ista propositione: 'sol movetur', dependet immediate ab una de futuro; ergo dependet a contingenti ad utrumlibet, si tamen sit dare ultimum. Etiam ista non valet: 'Sortes est, ergo Sortes erit', sed concedo quod Sortes est nullum singulare istius compositi.

Ad ocatvum principale cum dicitur: 'si Deus sciret contingentia, posset ea revelare angelo vel homini, sic quod post revelationem manerent contingentia', concedo. Et cum arguitur: 'tunc quicquid est revelatum futurum in sacra Scriptura, sicut de die iudicii, resurrectione et huiusmodi, posset esse contingens et, per consequens, Scriptura posset esse falsa', concedo. Et concedo quod haec est possibilis: 'Abraam meruit in fide falsa', et quod homo potest mereri per fidem falsam ita bene sicut per fidem veram, quia non ideo meretur homo credendo, quia creditum ab eo est verum, vel falsum, quia hoc non est in potestate sua, sed ideo credendo meretur, quia Deus praecipit sibi quod si <c> credat, et vult acceptare actum credendi si credat. Et si arguatur: 'ergo anima Christi potuit fuisse decepta, quia anima Christi credidit quod dies iudicii erit', et haec potest esse falsa, ergo haec est possibilis: 'Christus praedicavit falsum', quia haec est necessaria: 'Christus praedicavit hoc', demonstrata hac propositione: 'dies iudicii erit', potest dici quod haec est contingens: 'Christus praedicavit hoc'; similiter ista: 'Christus asseruit hoc'. Immo [306a] Christus potest nunquam praedicasse hoc, quia ista propositio saltem gratia materiae: 'Christus praedicavit hoc', convertitur cum ista: 'Christus praescivit hoc'; et hoc fuit verum. Et certum est quod haec copulativa est contingens, et ideo illa est contingens. Et secundum hoc dicitur quod postquam Christus dixit Petro *ter me negabis* hoc fuit contingens. Similiter haec: 'Christus asseruit hoc Petro, vel assertive dixit hoc Petro', ad istum intellectum, quod per illud dictum significaret Petrum negaturum Christum. Et eodem modo potest dici quod haec est contingens: 'modo anima Christi credit quod dies iudicii erit', et convertit cum ista: 'anima Christi credit quod dies iudicii erit', et haec fuit vera: 'dies iudicii erit'. Unde omnis difficultas istorum argumentorum solveretur, si posset solvi illud commune argumentum de revelatione facta Petro de negatione Christi. Et de isto dicunt aliqui quod postquam Christus asseruit hoc Petro, potuit nunquam asseruisse illud ad talem intellectum. Sed hanc oportet concedere, quod Christus praedicavit falsum, posito quod haec sit vera: 'dies iudicii erit', quia, posito falso possibili, non est inconveniens concedere impossibile per accidens, et non est impossibile nisi per accidens 'Christus praedicavit falsum in 'a'.

Haec autem responsio non sufficit mihi. Ideo contra hoc arguitur sic: assertio Christi vocalis, qua asseruit diem iudicii fore audientibus discipulis suis, sit 'a'. Tunc sic arguitur: hoc fuit

prolatum a Christo in 'b' tempore, demonstrato 'a', hoc fuit prius in 'b' tempore; ergo falsum in 'b' tempore fuit prolatum a Christo. Maior est necessaria per accidens, quia Deus protulit 'a' coram discipulis suis in 'b' tempore, et minor est contingens; ergo conclusio est contingens.

Item, anima Christi asseruit ipsum 'a', prolatum a se in 'b' tempore, et 'a' prolatum a Christo in 'b' tempore est falsum; ergo anima Christi asseruit falsum in 'b' tempore; et ultra: ergo anima Christi fuit decepta. Maior est necessaria, minor est contingens, ergo conclusio est contingens. Nec est simile si arguatur sic: 'a' fuit scitum a Deo in 'b' tempore, et 'a' fuit falsum in 'b' tempore; ergo falsum fuit scitum a Deo in 'b' tempore, quia maior est contingens. Et licet haec sit vera, tamen potest nunquam fuisse vera.

Sed non est simile de ista propositione: 'anima Christi asseruit 'a' quando protulit 'a' in 'b' tempore', quia haec est simpliciter necessaria vel impossibilis. Necessaria, si est vera; impossibilis si est falsa. Sed constat quod est vera, ergo est necessaria. Et ideo potest concedi quod haec modo est necessaria: 'anima Christi asseruit istam propositionem: 'dies iudicii erit''. Et non dependet ab aliquo futuro plus quam ista 'Petrus asseruit'. Et concedendum est quod haec est contingens: 'anima Christi fuit decepta, anima Christi credidit falsum, anima Christi fuit beata'; est concedendum, sed hoc est modo impossibile: 'Natura humana in Christo, vel anima Christi mentiebatur', quia nihil protulit cum deordinata intentione fallendi.

Contra: Christus voluit discipulos credere quando audierunt hoc prolatum a Christo. Tunc sic: hoc voluit Christus discipulos suos credere, et hoc est falsum; ergo falsum voluit eos credere; ergo voluit eos decipere. Maior est necessaria, minor est contingens; ergo conclusio est contingens.

Concedo conclusionem, scilicet quod est contingens. Sed nunquam erit vera istam, videlicet: 'Christus voluit quod discipuli sui crederent sibi in falsis', alias nimis derogatur potentiae Dei, si modo non potest facere quod dies iudicii non erit, nec adnihilare unum angelum et, per consequens, potest facere tales propositiones falsas, quas ipse protulit: 'dies iudicii erit', et 'angelus malus non erit damnatus'. Secundum hoc potest dici ad argumentum de negatione Petri, quod toto tempore intermedio postquam Christus dixit: *ter me negabis*, usque ad negationem, quod haec fuit contingens: 'Petrus negabit Christum'; ergo Christus potuit asseruisse falsum. Et in potestate Petri fuit Christum asseruisse, immo in potestate cuiuslibet alterius qui fuit cum Petro, quia in tempore medio potuit Petrus fuisse occisus et non oportebat quod Deus eum statim resuscitasset; sed non fuit in potestate Petri facere Christum dixisse mendacium.

Contra: Christus scivit quod ipse asseruit falsum, cum intentione faciendi Petro credere illud; ergo in dicto Christi fuit falsa significatio vocis cum intentione fallendi. Antecedens fuit contingens in medio tempore, ergo consequens. Quod autem antecedens fuit contingens probo, quia haec fuit contingens illo medio tempore: 'Deus scivit Christum asseruisse falsum cum intentione faciendi Petrum credere falsum', quia haec fuit necessaria illo tempore: 'Deus scivit Christum asseruisse haec cum intentione faciendi Petrum credere', hoc est: haec fuit contingens: 'Deus scivit hoc esse falsum'. Igitur ista propositio fuit contingens illo tempore: 'Deus scivit Christum asseruisse falsum cum intentione faciendi Petrum credere falsum'; ergo haec fuit contingens illo tempore: 'Deus scivit Christum dixisse mendacium'.

Potest dici quod in Christo est duplex notitia, increata et creata, divina scilicet et humana. Ita et duplex est intentio, quaedam est intentio actus voluntatis, nam est una intentio quae est voluntas divina, et est una alia quae est volitio creata, quae est una qualitas in anima Christi. Modo videtur quod inter istas notitias sit talis differentia, quod in notitia creata possit esse error per mutationem rei cuius est, quia notitia istius: 'a' erit', semper erit notitia istius [307a]: 'a' erit'; nec potest esse notitia istius: 'a' non erit', sed in notitia increata nunquam potest esse error. Et similiter, licet sit notitia istius: 'a' erit', potest tamen esse notitia istius: 'a' non erit', et sine sui mutatione, et nunquam fuisse notitia istius: 'a' erit'. Et hoc est propter illuminationem notitiae quae est Deus, quam admirari possumus, sed non commensurare. Eodem modo dico de intentione in Christo, quae est duplex, creata et increata. Si ergo loquimur de intentione increata, concedo quod Christus potuit facere Petrum credere falsum, nec tamen hoc est contingens. Si loquamur de intentione creata, haec fuit impossibilis medio tempore illo: 'Christus intendebat decipere Petrum', sed haec fuit contingens: 'Christus intendebat intentione creata facere Petrum credere falsum'. Nec tamen haec est contingens: 'Christus intentione creata voluit decipere Petrum'. Exemplum potest dici quod haec consequentia non valet: 'volo te credere falsum, ergo volo te decipi'; quia, ponitur quod rex sedeat, et ego credam regem non sedere, et asseram tibi quod rex non sedet, tunc patet quod volo te credere assertum a me, quod est falsum, et tamen nolo decipere te. Posset dici forte quod exemplum non est ad propositum, nec est verum in isto casu quod non volo te decipere, immo volo decipere te, et non scio me te decipere. Et sic in huiusmodi casibus consuevimus dicere: 'ipse decepit me, sed noluit decepisse me', quia non scivit se velle decipere me etc. Unde, proprie loquendo, ista propositio: 'ego volo decipere te' equivaleret illi: 'volo te facere credere', sicut hoc denotatur. Et credo quod non est sicut per hoc denotatur. Et sic velle est intentio decipiendi. Et certe haec fuit impossibilis post assertionem Christi factam Petro: 'Christus voluit Petrum credere per hoc quod Christus credidit, quod dictum suum fuit verum'. Et haec fuit contingens medio tempore: 'anima Christi fuit decepta'. Et sic, per consequens, Deus potest decipi per communicationem idiomatum, sicut haec similiter fuit vera per communicationem idiomatum: 'Deus potest mori'.

Contra: videtur adhuc quod haec sit concedenda sicut possibilis: 'Deus asservit falsum', scitum esse falsum cum intentione fallendi.

Respondeo: sive sequatur sive non, conclusio est vera, si asserere non sit aliquid aliud nisi dicere aliquid cum intentione quod audiens credat illud esse verum. Quod etiam inconveniens foret si Deus scriberet in libro istam propositionem: 'dies iudicii non erit' et simul intenderet quod aliquis malus credens illud scriptum a Deo assentiret illi falso, et ita fallatur. Eodem modo, si formaret tales voces in aere ad eandem intentionem seu rationem, ut propter hoc foret in audiente falsum. Et sic consequenter potest dici quod haec fuit possibilis [307b] post assertionem Christi: 'Christus voluit fallere Petrum'; 'Christus dixit falsum scitum esse falsum, quia anima Christi credidit Christum dicere verum'; 'Christus non fuit deceptus, quia anima Christi nunc fuit decepta'; et 'Christus putabat esse verum quod anima Christi putabat esse falsum'. Licet enim nulla istarum sit vera, tamen quaelibet istarum est possibilis per communicationem idiomatum.

Ad secundum, cum dicitur: 'Deus non potest revelare futura contingentia sic quod post revelationem maneant contingentia, quia, si sic, aliquis iuste damnatus ante centum annos potest modo nunquam fuisse iuste damnatus', nego consequentiam. Ad probationem, cum dicitur quod aliquis de secta Saduceorum est damnatus, quia credidit hoc falsum: 'resurrectio non erit', respondeo quod possibile est iustum damnatum credidisse hoc falsum, posito quod nunquam credidit falsum nisi illud tantum, et nego consequentiam; ergo est possibile quod sit iniuste damnatus, quia credidit verum quod non debuit credere, et noluit falsum credere quod tamen habuit credere sub praecepto, posita falsitate istius: 'resurrectio non erit'.

Ad tertium dicendum quod, admissio casu, debet concedi quod Sortes nunquam voluit difformiter Deo in volendo Platonem damnare; quia tamen voluit oppositum istius quod praeceptum fuit sibi velle, ergo peccavit et iuste fuit damnatus.

Ad quartum concedo quod modo est in potestate mea facere sic aliquem mortuum ante centum annos fuisse prophetam. Iste terminus 'propheta' est terminus connotativus, cuius significatum est 'aliquid praedicens verum'. Et planum est quod, si de me aliquis praedixit aliquid me facturum, cum possum facere et non facere libere, consequens est quod possum facere eum fuisse prophetam et non fuisset prophetam. Quia possum facere quod ipse dixerit verum, aut falsum, id est possum facere quod haec propositio sit vera, vel falsa, sicut placet mihi: talis homo fuit propheta, accipiendo 'prophetam' stricte secundum diffinitionem prophetae. Et ideo, post tempus in quo aliquis praedixit futurum, continue donec fuerit impletum, hoc est contingens: 'ille prophetavit', isto demonstrato. Unde haec est hodie contingens: 'Iob prophetavit de resurrectione', et quaelibet talis contingens: 'Iob credidit verum de resurrectione' et huiusmodi. Et concedendum est quod aliquis prophetavit et potest nunquam prophetasse, et quod aliquis dixit verum per totam vitam suam, et potest adhuc ita esse quod nunquam dixerit unam propositionem veram. Haec omnia patent ex praecedentibus.

Ad diffinitionem prophetiae, cum dicitur quod est divina inspiratio etc., praeter veritatem immobili necessitate demonstrata etc., intelligo hanc diffinitionem de veri[308a]tate immobili multorum contingentium, sicut loquitur Anselmus de immobili necessitate futurorum. Dicit enim libro 2 *Cur Deus homo?*, capitulo 17, quod illud quod Deus proponit antequam fuerit non potuit non esse futurum. Et alibi dicit: „rem futuram necesse est esse futuram”. Qualiter autem haec necessitas sit intelligenda declarat *De concordia*, capitulo 2, et similiter in loco praeallegato, dicens quod est duplex necessitas: praecedens et subsequens. Necessitas praecedens est causa ut res sit. Necessitas subsequens est necessitas quam res facit. Vult dicere quod tales conditionales sunt necessariae: 'si aliquid est futurum, illud erit'; 'si Deus scivit aliquid esse futurum, illud erit'; 'si Iob prophetavit resurrectionem, resurrectio erit'. Et dicit hoc idem Boethius sub verbis magis convenientibus, 4 *De consolatione <Philosophiae>*, prosa ultima: „duplex est necessitas. Una simplex, videlicet omnes homines esse mortales. Secunda conditionales, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est”. Haec distinctio ponitur ab aliis in ista materia sub istis verbis: 'quaedam est necessitas consequentiae, et quaedam necessitas consequentis'. Cum ergo dicitur 'prophetia habet immobilem veritatem', hoc est necessitatem, verum est consequentem, vel conditionalem, vel respectivam, non autem absolutam consequentiae. Et sic concordant dicto

Anselmi, 2 *Cur Deus homo?*, capitulo 17, ubi inquit an Christus potuit voluisse servare vitam suam, et dicit quo illud quod Deus proposuit antequam fuit non potuit non esse futurum. Hoc est dictum: „haec conditionalis est necessaria: si Deus proposuit aliquid futurum, illud est futurum.” Nam *De concordia*, capitulo 2, dicit: „aliqua res, ut quaedam actio non necessitate futura est, quia priusquam sit, fieri potest ut non sit futura. Rem vero futuram necesse est esse futuram, unde futuro non potest esse futurum simul et non futurum”. Et infra: „cras seditio futura in populo non de necessitate erit seditio. Potest enim fieri, antequam sit, ut non fiat”. Ecce plane vult dicere quod futurum potest esse non futurum, et tamen haec est necessaria: 'omne futurum est futurum', et quod impossibile est quod aliquid simul sit futurum et non futurum, licet sit verum quod aliquid sit futurum et potest non esse futurum, et aliquid non est futurum et potest esse futurum. Improperie haec dicuntur, sed, si habeatur intellectus in proposito difficultatis, non est cura an improprietas sit.

Contra: capio illud quod non est futurum, sed potest esse futurum, et sit 'a'. Et arguo sic: 'a' non est futurum, et potest esse futurum; ergo potest incipere esse futurum. Respondeo quod totum argumentum sit in locutionibus impropriis, quia nihil est tale, quod non est nec est futurum, et potest esse futurum. Sed intelligo per istam: 'aliquid [308b] non est futurum et potest esse futurum', quod huiusmodi propositiones in aliqua materia sunt concedendae: 'a' non est nec erit', et 'tamen 'a' potest fore', et tunc valet consequentia: 'a' potest incipere esse futurum'.

Ad quintum de Apostolo *1 Corinthios*, 15, potest intelligi: si Christus non habet potestatem suscitandi mortuos, ergo nec Christus resurrexit. Unde vult probare possibilitatem resurrectionis, et similiter persuadere veritatem eiusdem quod Christus docuit hoc esse credendum. Unde est talis consequentia: si mortui non resurgunt, id est si mortui resurgere non possunt, ergo nec Christus. Consequentia est bona, licet antecedens sit impossibile, sicut dicit Augustinus, libro 2, *De doctrina christiana*. Ad consequentiam Micheae, *3 Regum* 22: *si reversus fueris in pace* etc., conditionalis est vera; antecedens fuit contingens, et consequens similiter.

Ad sextum concedo quod haec est contingens: 'anima Christi fuit beata'. Hic tamen ille terminus 'beatus' debet sic exponi: 'fruitur et semper fruatur Deo', sicut patet.

Ad septimum patet quomodo Deus potest certificare, et quomodo non, per praedicta in primo articulo posito de illa materia. Ad glossam illam, quod Christus est veritas, quae seipsam negare non potest, et tamen faceret, si dicta sua non impleret, vult dicere quod Deus implet promissiones suas ita certitudinaliter ac si non posset non implere. Et eodem modo dico ad illud *Lucam* 24: necesse est adimpleri omnia etc. Hoc est: illa adimplebuntur ac si non posset impediri.

Ad octavum concedo quod angeli sunt confirmati; potest tamen ita esse quod nunquam fuerunt confirmati. Omnes aliae formae argumentorum possunt solvi per praedicta in articulis.